



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. XXIV. De Jurejurando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

TITVLVS XXIV.

DE JUREIURANDO.

Quia in defectum aliarum probationum, sæpe in Iudiciis Juramentum adhiberi solet, & ad illud recurritur; est enim maximum remedium expediendarum litium Jurisiurandi Religio. l. i. ff. de Jureiurando. ideo, postquam de probationibus in genere, & in specie actum est, subiungitur hic Titulus de Jureiurando, qui extat etiam in Sexto, & Clementinis. Agitur autem in hoc Titulo non tantum de Juramento iudiciali, quod est peculiaris species probationis, sed etiam generaliter de aliis Juramentis, quæ extra Iudicium fiunt.

S E C T I O I.

DE IURAMENTO IN GENERE,
& variis Juramentis, tum licitis,
tum illicitis.

§. I.

Quid sit Juramentum, & de conditionibus ad illud requisitis, variisque iurandi formis, ac modis.

I.

QUÆRITUR Primò. Quid sit juramentum? Resp. Jus jurandū, sive juramentum sic dictum est; quia, quod juratur, instar Juris habendū est, & veluti jus sanctè servandū; & sic definitur apud *Hostiens. in summa. h. t. n. 1. & Abbat. ad Rubric. eod.* Juramentū est affirmatio, vel negatio de re possibili, licità, & honestà, Sacræ Rei attestazione firmata: sive clariùs sic: est affirmatio, aut negatio Religiosa, per quam DEUS tanquam infallibilis veritas in testem adducitur. Brevius ita definit *S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1.* Jurare est, DEUM in testem assumere: vel, juramentum (quod etiam Sacramentum appellatur) est assumptio, seu invocatio Divini Numinis in testimonium; quod dupliciter fieri potest; ut explicat *Covarr. in c. Quamvis; 2. de pact. in 6. in princ.* Nam, qui, aliquid se facturum, cum juramento promittit, DEUM, velut sponsorem suæ promissionis in testem adducit: qui verò affirmat, vel negat, hoc, vel illud verum esse, addito juramento, DEUM affirmationis, vel negationis illius testem constituit. Hinc infertur, etsi juramentum per falsos Deos non fit ex se, & vi suâ juramentum, cum non sit testimonium Divinum, neque fide dignum; adeoque neque obligatio ex eo inducatur (quod enim non est, obligationem inducere nequit, & cum non pertineat ad veri DEI honorem) non potest ejus violatio esse contra DEI honorem: per accidens tamen ex erronea conscientia eius, qui jurat, ac putat, deum, per quem jurat, verum Deum esse, & pertinere ad honorem talis dei existimati, obligat, ac servandum est ab infideli. *Suar. lib. 2. de jurament. c. 3. n. 6. Sanch. lib. 3. moral. c. 2. n. 5. Laym. lib. 4. Theol. moral. tract. 3. c. 1. n. 2.*

II. Quæritur secundò. An licitum sit, jurare? Resp. Secundum se esse licitum, sicut fuisse probat Papa Innocentius III. in *cap. Etsi Christus; 26. h. tit.* Ubi ait: Etsi Christus præceperit (*Math. 5.*) Sit sermo vester: est est, non non, ita, ut, quod ore affirmatur, vel negatur, etiam cor affirmet, vel neget: quia tamen, crescente malitiâ hominum, simplici assertioni, vel negationi vix creditur, ideo adiunxit: quod amplius est, à malo est: non dixit: malum est. Juramentū, sed à malo est (illius scilicet, qui exigit juramentum, & non vult credere, nisi juretur. *Gl. magna h. c.*) Quare, cum Christus cit. loc. dixit: *Ego autem dico vobis: nolite jurare omnino; non per Creatore, sed per creaturam jurare prohibuit: unde subiunxit: neq; per calum, neq; per terram; Quod si juratur per creaturâ, servandū est juramentū, dummodo sit licitum, quod juratur. S. Jacobus quoq; c. 5. non simpliciter prohibet juramentum, modo non spontaneâ voluntate, sed ob necessitatem (vel utilitatem. *Gl. h. c. V. Necessitas.*) præstetur, & tremmites habeat, nempe veritatem, iudicium, & iustitiam. *Jerem. c. 4.* Et prohibuit jurare per creaturam: unde *S. Paulus ad Hebr. 6.* dixit: Homines per majorem suum jurant, id est, per DEUM; & omnis controversiæ finis est juramentum. Alioquin verò licitum esse, jurare, patet ex *Apocal. cap. 10.* ubi Angelus juravit per viventem in secula seculorum. Christus etiam non simplici omnino assertioni contentus fuit, sed sæpissime dixit: Amen dico vobis, in veritate dico vobis, *Luc. 4.* Apostolus quoque non semel juravit: Testis est mihi DEUS *Rom. 1.* & aliàs DEUS etiam in Veteri Testamento tanquàm jurans introducitur: Juravit Dominus, & non pernitebit eum. *Psal. 109. & Psal. 131.* juravit Dominus DEUS veritatem. & Christus ait *Math. 5. di.* actum est antiquis: non peierabitis, reddes autem Domino juramenta tua. Deinde pergit Pontifex, & addit rationem, cur juramentum per se non sit malum, seu illicitum; quia quædam prohibentur, non quia, per se mala sunt, ut furtum, adulterium, sed quia, si frequenter, & indiscretè fiat, multa ex ipsis mala sequuntur: ideòque non ipsa res simpliciter prohibetur, sed abusus eius: v.g. vini potatio; quia ex frequenti, & immoderata vini potatione luxuria generatur. ad *Ephes. 5.* Et tale quoque est juramentum, quod per se malum non est, cum sit confirmatio veritatis; sed ex incauta ejus frequentatione periclitium sæpe incurritur, juxta illud *Ecl. 23. Vir multum jurans replebitur iniquitate, sed prohibetur, ut non**

non temere juretur, ac sine necessitate; quia cessante causa (scilicet periculo perjurii. *Gl. hic V. Cessante causa*) cessat effectus, scilicet prohibitio Juramenti; quia instante necessitate, pro re vera, ac honesta licet juretur.

III. Notandum primò. Dicitur hinc juramentum esse à malo; quia nimirum à peccato originali, & pena peccati, per quod natura humana corrupta est, provenit, quòd homines non sint veraces, & fideles, nec sibi invicem fidem habeant; ideòque simplici asserzioni non credant, vel negationi, absque juramento. *Abb. hic not. 1.*

Notandum secundò. Quando hinc dicitur, non esse jurandum per creaturas, si tamen juratum fuerit, servandum esse juramentum, id ita intelligendum est, non esse per illas jurandum, ita, ut in illis sistatur; at verò licitum est per creaturas jurare, referendo illas ad Creatorem, prout in iis DEI potentia, ac veritas relucet; nam per solum DEUM ultimè, ac principalius juramenta religiosa fieri possunt: quo sensu dixit Apostolus ad *Hebr. 6.* quòd homines per majorem se jurant, videlicet DEUM, ac proinde in omni juramento DEUS testis invocatur, vel expressè, vel tacitè, & implicitè, si juretur per creaturas, cum ordine ad DEUM; & tale juramentum quoque servandum est. *Azor p. 1. Instit. Mor. lib. 11. c. 10. q. 1. Laym. lib. 4. Theol. moral. tract. 3. c. 1. n. 5.*

Quando verò in SS. Canonibus prohibetur juramentum per creaturas, c. Clericum; 9. *Et c. seq. caus. 22. q. 1.* id accipiendum est de juramentis Gentilium, more ethnico, per solem, Jovem &c. tanquam deos quosdam, siquidem talia juramenta, cum simulatione falsæ Religionis, vel certè cum scandalo juncta sunt. *Lessi. lib. 2. de justit. c. 42. n. 16. Laym. c. l. n. 7.*

IV. Porro quia in *cit. c. Etsi Christus; h. t. Abbas, & Monachi Castellionis* à præstando Judiciali juramento abhorrebant, tanquam illis illicito, ideò S. Pontifex in *fine ibid.* illis rescribit, licet aliis viri Religiosi ad perfectionem vitæ Christianæ conari debeant; adeòque curare, ut quantum possunt, juramenti vinculum evitent: tamen se ipsis indulgere (id est, indultum sive jure concessum esse, declarare. *c. 1. caus. 14. q. 2. c. Insuper; 6. Et c. Tuis; 39. de testib. Gl. fin. hic*) ut in causis sui Monasterii, ne illud sui juris læsionem patiatur, deficientibus aliis testibus, possint, cum juramento, pro ipso testimonio perhibere veritati. Idque tali casu absque læsione Religiosæ perfectionis; quia, quamvis aliàs absolutè Religiosi licet possint sub juramento testimonium ferre in Judicio, præsertim in causis suæ Ecclesiæ; ut patet ex juribus jam allegatis: tamen, cessante necessitate, si alii testes non desint, id foret saltem contra perfectionem, quam Religiosi profitentur, quæ requirit, ut, quantum in se est, juramentum evitent, nisi necessitas ad illud cogat: & ita textum hujus c. intelligendum esse putat *Barb. in Collect. hic n. 7.*

V. Quæritur tertio. Quæ condiciones requirantur ad juramentum? Resp. tres, veluti comites, veritas, judicium, & justitia, juxta illud *Jeremias c. 4.* Jurabis: Vivit Dominus; in veritate, & in judicio, & in justitia. & in *cit. c. Etsi Christus; h. t.* Veritas in eo consistit, ut testimonium veracissimi Numinis non adducatur in confirmationem falsi; si-

ve, ut id, quod asseritur, verum sit, & id, quod negatur, falsum: vel saltem, ut is, qui jurat, id, quod asserit, vel negat, non levi, sed certâ, vel probabili ratione ductus, verum, vel falsum esse, arbitretur: & ut, qui aliquid jurando promittit, animum, & voluntatem habeat re ipsâ præstandi, & implendi, quod promittit, & re ipsâ impleat, nisi impediatur. Quòd si veritas deficiat in juramento, tollitur omnino finis, & substantia juramenti, & incurritur perjurium. *Covarr. in c. Quamvis; de pact. in 6. p. 1. §. 6. n. 5. Azor cit. l. 11. c. 2. q. 5. Laym. cit. tr. 3. c. 3. n. 3.*

Judicium requirit, ut non temere, & inconsideratè, sed cum prudente intellectus consideratione, piâ, ac reverente voluntatis affectione, & non sine necessitate, aut magnâ utilitate juretur, cum nimirum publicè, vel privatim multum interest, ut alicuius dicti veritas aliis non manifesta, sed dubia, reddatur indubitata, & explorata. *Covarr. c. l. n. 4. Azor c. l. Et Laym. idque sumitur ex cit. c. Etsi Christus; ubi dicitur: Quoniam ad juramentum non debet quemquam spontanea voluntas inducere, sed necessitas trahere importuna; ubi sub necessitate etiam utilitatem includi docet Gl. V. Necessitas. Arg. c. Tu malum; 6. junct. Gl. caus. 22. q. 1. ubi Gl. Margin. ait: Juratur propter utilitatem. Quòd si quis, absque prævio Judicii examine, verum juret, dicitur juramentum temerarium, & incautum, & quamvis perjurium non sit; quia non est mendacium juramento confirmatum, dicitur tamen perjurium à S. Hieronymo in *c. 2. caus. 22. q. 2.* quia jurans incautè se exponit periculo perjurii. *Gl. in c. Tua nos; 11. V. Pro perjurio; h. t. Covarr. c. l. n. 4.**

Denique justitia, seu æquitas juramenti in eo consistit, ut licitum sit, ac honestum, quod juratur: non enim est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, juxta *Reg. jur. 58. in 6.* impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur. *c. In malis; 6. cit. caus. q. 4.* Quare, si quis injustum aliquid, vel inhonestum promittat, addito juramento, & peccat jurando, & adimplendo promissum, crimen crimine cumulat. *Azor. c. l. Covarr. c. l. n. 6.*

Quòd igitur in *c. 1. & pluribus aliis cit. q. 4.* dicitur, tolerabilius esse, non implere Sacramentum de re illicitè præstitum, quàm fidem juratum servare; non sic accipiendum est, quasi tolerabile sit, aut permissum, juramentum de re illicita interpositum implere, cum servans, seu implens tale juramentum peccet, sed quòd sine justitia jurans tum deliquerit, cum temere, & sine justitia juravit; ut notat *Gl. in cit. c. 1. V. Non tolerabilis;* non implendo autem tale juramentum, non peccat, nec violat juramentum; cum ex eo nunquam ulla obligatio sit orta implendi, quòd injustè, & illicitè juratum est. *Covarr. c. l. Similiter in c. Necessè est; 14. caus. 22. q. 4.* malè, sive illicitè jurans penitentiam agere jubetur, eò quòd nomen Domini assumpserit in vanum, illicitè jurando: non autem, quòd fidem juramenti violaverit, non implendo promissum: nulla enim violatio est, ubi nulla est obligatio.

VI. Quæritur quartò. Quænam sint jurandi formulæ. Respond. generatim duplices; expressæ, & implicitæ. Illæ sunt, in quibus Divinum Numen in se ipso invocatur, vel in testem adducitur, ut: Juro per DEUM, per DEUM ita est &c. Implicitæ sunt, in quibus DEUS non in se, sed in alio invocatur.

vocatur, quatenus refertur ad DEUM, quomodo juratur per creaturas, quatenus in iis Divina Bonitas, & Potentia relucet; ut si quis juret per Cælum, quod est Thronus DEI; per terram, Domini enim est terra, & plenitudo ejus. Ps. 23: per Evangelia, in quibus infallibilis DEI veritas continetur; per Crucem, cum ordine ad Christum in Cruce pro nobis passum; per Sacramenta, quatenus à Christo sunt instituta, & ex eius meritis vim habent sanctificandi. *Co-varr. in cit. c. Quamvis; p. 1. §. 1. n. 5. Silv. V. Juramentum; l. 9. 1.*

VII. Porro de quibusdam jurandi formis dubitatur, an sint vera juramenta, necne? Veluti Primum, si quis dicat; testor hoc per conscientiam meam: nam juramentum esse censet *Silvest. c. l. Azor lib. 11. c. 3. q. 1.* idque verum est, si quis intentionem habeat jurandi per conscientiam, quatenus est participatio quædam Divinæ Mentis, ac Veritatis; qualis tamé intentio in dubio præsumi non debet, nisi ex patriæ consuetudine, vel circumstantiis probabilis juramenti conjectura fieri possit: alioqui enim, qui ait, per conscientiam meam hoc dico, non censetur aliud dicere, quam se non proferre hæc verba fictè, sed loqui juxta mentem suam, prout in conscientia sua sentit, sive ex conscientia, & notitia veritatis. *Sanch. l. 3. Moral. c. 2. n. 30. Laym. c. l. n. 4.* In eo verò omnes conveniunt, verba illa certè, profectò, revera, in veritate, ita est, sicut narro, non habere vim juramenti, nisi expressè addatur, vel tacitè invocetur summa, & Divina Veritas, dicendo in veritate DEI, vel Christi. *Suar. l. 1. de Juram. c. 13. Laym. c. l. n. 4.*

Dubitatur secundò de illis verbis: per meum jurandum, sive vulgò *Auff mein Ahd* / quæ quidem in foro Judiciali censentur esse juramenta, imò etiam extra Judicium, si deliberatè proferantur, plerumque juramentum continent; quia ex consuetudine apud Germanos receptâ, formula illorum verborum pro juramento usurpatur, & accipitur, teste *Laym. c. l. n. 4.* secus est, si eadem verba, non coram Judice, nec deliberatè proferantur; prout passim in vulgari sermone ex prava consuetudine evomuntur; tunc enim vim, & obligationem juramenti in foro externo non videntur habere; nec enim ea sic usurpantium intentio est, quòd velint jurare.

VIII. Dubitatur tertid. An simplex fidei interpositio, sive promissio, & attestatio, facta sub fide Sacerdotalis dignitatis, vel Consecrationis, bey *Geistlichen Ehren / Beyhung / oder Würden* / sit juramentum? Et propriè quidem dictum non esse, satis patet; quia nulla intervenit Divini Nominis invocatio: attamen in foro externo Ecclesiastico, tanquam jurata promissio, vel attestatio accipi solet, & observari debet, non minus, quam juramentum; prout sumitur ex *c. Ad omnes; 3. de hÿ, quæ vi met. caus. c. 6.* ubi habetur, quòd renunciatio electionis, ob laicorum terrorem, facta, irrita censeri debeat, nisi juramento, vel fide interpositâ confirmata sit. Et in *c. 2. de fidejuss.* dicitur, Clericos, si Religionem fidei, vel juramenti violasse constiterit, ab officio, & beneficio suspendendos esse: ubi *Gl. fin. V. Fidei, & Juramenti*; ait, idem esse, venire contra fidem promissam, sicut contra juramentum; quamvis gravius peccetur veniendo contra juramentum; ut addit *Gl. Marg. ibid.* Ratio est; tum quia promissio, vel attestatio facta per

laeram consecrationem, vel sub Sacerdotali dignitate, magnam cum juramento similitudinem gerit, tum quia alioquin privilegium Clericis, & præcipue Sacerdotibus datum, ut in causis levioribus non cogantur jurare, sed loco juramenti sufficiat nuda assertio eorum; sub fide Sacerdotali, in aliorum præjudicium cederet, nisi ad ejusdem, non minus, quam juramenti observationem obligati essent. *Laym. c. l. n. 2.* Idem dicendum de interpositione fidei, seu promissione facta à Principibus, sub fide, & dignitate principali, bey *Sürstlichen Ehren vnd Würden*; æquivaleret enim juramento, & loco juramenti esse censetur: sicut &, si fides data sit à personis Illustribus, aut Nobilibus in Germania, bey *ihren Gräßtlichen oder Adelichen Ehren / Trauen vnd Glauben.* *Gail. l. 2. obs. 59. n. 25. & 26. Mynsing. cent. 1. obs. 17. n. 1. & 2. Laym. c. l.* Si tamen forma actus, qui geritur, juramentum specialiter exigit, neque Principis nuda fidei interpositio sufficit; quia forma per æquipollens adimpleri non potest. *Vvesenb. consil. 15. n. 45.*

Dubitatur quartò. Num, si attestatio, vel promissio facta sit sub obligatione amittendæ suæ famæ, & boni nominis, bey *Schelm schelten* / ea licita sit, & obligatoria instar juramenti? Affirmandum est; quia, cum quilibet sit dominus suæ famæ, quam sibi propria industria per liberum arbitrium comparare potest; adeoque fama, id est, opinio aliorum de nobis, & honor, qui nobis ab aliis exhibetur, sit bonum quoddam extrinsecum, cuius dominium magis ad hominem pertinet, quam divitiarum; ut probat *Molin. er. 4. de just. dis. 2. n. 3. & 4.* cum etiam nonnulli Sancti, si ratio id suadebat, sua crimina manifestarunt, & famam suam minuerint: consequenter dici potest, promissionem illam sub damno amittendæ famæ jure prohibitam non esse. Et sanè non parum detegatur famæ eorum, qui hujusmodi promissiones deliberatas, sine justa causa, non servant.

IX. Denique homagium, quod vasalli Dominis suis, cum investituram accipiunt, præstare solent de fidelitate ipsis servandâ, verum, ac propriè dictum est juramentum, cujus mentio fit in *c. Gravem; 15. de excessib. Prælat. c. ult. infr. de R. I. ubi Gl. fin.* homagium Sacramentum fidelitatis appellat. *Laym. c. l. n. 3.* ubi tamen notandum est, tria esse genera juramenti fidelitatis. Primum est Clientelare, vulgò *die Lehens-Pflicht* / quod vasallus domino feudi præstat, & ad hoc etiam obligatur Clericus erga Dominum Secularem, *c. transmissa; 6. & seq. de foro comper.* Alterum, ratione officii, & administrationis, vulgò *die Ambts- oder Dienst-Pflicht* / quod Præsides, & Officiales Curia, v. g. Imperatori, vel Regi edunt; & hoc etiam in Clericum cadere potest; quia Clienti sub ea conditione, & pacto ad hujusmodi ministeria acceptantur, ut obedientiam, ac fidelitatem in rebus ad officium pertinentibus præstent, ac jurent. *Laym. lib. 4. tract. 9. c. 5. n. 3.* Tertium est juramentum subjectionis, vulgò *die Lande-Hulbigung* / & hoc à Clerico erga Dominum Secularem præstari non debet; ut statuitur in *c. Nimis; 30. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Generali sub Innocentio III. ubi dicitur, quòd Laici contra Jus Divinum agant, si Clericos nihil temporale ab ipsis obtinentes ad juramentum fidelitatis ipsis præstandam compellant; ideoque Papa, approbante sacro Concilio, prohibet,

prohibet, ne seculares Domini Clericos tale juramentum præstare cogant; quia secundum Apostolum, ad Rom. 14. *Servus Domino suo stat, vel cadit, quasi dicat: cum Clerici non subsint laicis, non debent eis præstare juramentum fidelitatis, seu subjectionis; ut explicat. Abb. hic n. 2.*

X. Hinc infertur primò à contrario sensu, si Clerici non obtineant temporalia bona in feudum à laicis, quòd illis non debeant præstare juramentum fidelitatis, etiam si alia bona temporalia, sed non intra Regnum, vel territorium Principis, vel Domini secularis, habeant, *Abb. hic n. 1.* Ratio autem, cur Clerici priora duo juramenta fidelitatis præstare possint, ac debeant Domino seculari, est; quia illa non absolute, & simpliciter, sed respectivè tantum, & secundum quid jurantem faciunt subditum seculari Domino: si autem Clericus præstet tertium juramentum fidelitatis, absolute fit subditus Domino seculari, à cujus potestate etiam jure Divino est exemptus; ut habetur *hic in princ. Abb. ibid. n. 3.*

Infertur secundò. Si pagus aliquis situs sit in territorio alicujus Principis, vel Domini, in dubio non præsumitur esse feudalis, sed liber, seu allodialis, sive pertineat ad Clericum, sive ad laicum; quia jure primævo, ac naturali, omnes personæ, & res sunt liberæ, servitutes autem postea primùm jure gentium sunt introductæ. *Abb. hic n. 1.*

XI. Queritur quindò. An ad juramenti substantiam requirantur verba, & quo ritu fiat solenne juramentum? Resp. ex natura rei non requiri verba, cum per alia signa externa æquipollentia interna voluntas, & intentio jurandi exprimi possit; ut patet in muto, qui se potest obligare sub juramento per nutus expresso, *Abb. in rubric. h. r. Covarr. in cit. c. Quamvis; in princ. n. 4.* Verumtamen valde consentaneum est rationi, ut in foro externo per verba id fiat, ad certiorum juramenti probationem. *Suar. l. 1. de juram. c. 11. n. 6.* at verò in conscientia, & in ordine ad DEUM, solà mente jurans obstringitur, præstatur enim juramentum DEO inspectori cordium. *c. Si quid; 6. caus. 14. q. 5. c. Erubescant; II. dif. 22.*

Quod verò ad ritum jurisjurandi attinet, statutum est jure, ut, qui jurat, SS. Evangelia tangat, vel sibi proposita habeat. *l. Rem; 14. §. 1. C. De Judic. subjunctis his verbis: Sic me DEUS adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia, prout habetur in c. Tibi; 33. in fine dif. 63. c. Ego; 4. in fine h. r.* quamvis etiam ad alias res sacras jurari possit. Et quidem in casibus, in quibus juramentum solenne de jure requiritur, juramentum aliter præstitum nullam vim habet, quoad jus effectus. *Covarr. c. l. §. 1. n. 1. & 2.* Moribus etiam receptum est, ut maris, si jurent, erectis, cum pollice, duobus digitis primis manû dextræ, vel, si quis his careat, sinistræ; ceteris annulari, & minimo digito in volam depressis: scemina verò positâ ad sinistram pectoris partem dextrâ jurent. Sacerdotes autem tangendo pectus jurant, nisi in causis gravibus, & in quibus jure expressum est, ut Sacra tangant. *Covarr. c. l. n. 3. Sanch. cit. c. 3. n. 9.* Denique præmittitur à Judice seria admonitio ad partes, vel testes, qui jurare debent, de jurisjurandi Religione, & gravitate, ac pœnâ periurii. Certum autem est, ex eiusmodi circumstantiis augeri juramenti obligationem,

violationem, & pœnam, ita, ut gravius peccatum sit perjurium solenniter præstitum, quam simplex, gravioremque pœnam mereatur; ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 98. a. 3. ad 2. Covarr. c. l. n. 1.*

S. II.

De divisione Juramenti.

Juramentum variis modis, & in plures species dividitur. Nos celebriores tantum, & hujus loci magis proprias adferemus.

XII. Assertio primâ. Juramentum in primis dividitur in assertorium, & promissorium, quæ est divisio valde celebris, & frequentissima. Assertorium est, quo rei præsentis, vel præteritæ veritas asseritur, sive quod interponitur, quidpiam asserendo, vel negando, esse, vel fuisse, v. g. juro, me in DEUM credere, juro, me Titium non occidisse, non furatum esse hanc rem, per quod confirmatur dictum de præsentis, vel de præterito: nam, cum de futuris contingentibus ordinariè non habeatur certa cognitio, nimis temerarium foret de futuris assertivè jurare. Tale etiam juramentum veritatis est, quod præstare solent testes deponendo in Judicio. *c. Nuper; § 1. de testib.* Juramentum promissorium est, quo promittimus: nos aliquid duros, vel facturos, aut non facturos; adeoque confirmatur dictum de futuro. *S. Tho. 2. 2. q. 98. a. 1. v. g. juro, me elemosynam daturum, Roman peregrinaturum, non blasphematurum &c.*

XIII. Ubi tamen duo sunt notanda. Primò in omni juramento promissorio necessariò includitur etiam assertorium; nam, qui jurat, se aliquid daturum, vel facturum, eo ipso affirmat, & jurat, se habere de præsentis voluntatem, seu propositum dandi, vel faciendi id, quod promittit, ac jurat; alioquin mentiretur, ac pejeraret; & quòd re ipsâ daturus, vel facturus sit, sive impleturus, quod juravit, se daturum, vel facturum: ac proinde in jurata promissione de futuro duo virtualiter, & implicite affirmantur sub juramento: unum de præsentis, scilicet voluntas promittendi, cum proposito implendi, & eatenus habet rationem juramenti assertorii: alterum de futuro, scilicet impletio promissi; & eatenus est juramentum promissorium; ut bene explicat *Suar. l. 1. de juram. c. 8. n. 3.* Quòd si quis juratus asserat, Titium hoc, vel illud facturum, v. g. cras domum ex itinere redditurum, adhuc erit juramentum assertorium; quia tunc censetur jurare de præsentis, se probabiliter credere, vel existimare, Titium cras redditurum, sicut promisit, vel sibi proposuit: unde etsi Titius, præter probabiliter conceptam opinionem jurantis, cras domum non redeat, non debet censi pejerasse. *Suar. c. l. n. 3. & 4. Laym. lib. 4. tract. 3. c. 4. n. 4.*

Deinde notandum. Potest dari juramentum assertorium de futuro, sine promissione; quia, qui asserit, aut jurat, se aliquid daturum, vel facturum, non necessariò illud promittit: promissio enim superaddit voluntatem promittendi: potest autem quis habere solùm voluntatem jurandi, sine voluntate promittendi alteri; ut, si quis nudè, ac simpliciter juret, se Religionem ingressurum, vel elemosynam pauperibus daturum, nihil interim, vel DEO, vel homini promittere

mittere intendens. *Suar. c. l. n. 5. & 6.* Et tale juramentum, quo quis simpliciter jurat, se hoc, vel illud daturum, vel facturum, sine ulla promissione, aut pacto erga alterum, unam tantum inducit obligationem ex virtute Religionis, nimirum futuro tempore faciendi verum, quod sub juramento assertum est, idque ob reverentiam Divini Numinis, quod in testem adductum est. Juramentum verò confirmatorium promissionis factæ, vel DEO, vel homini, inducit duplicem obligationem, nimirum ex virtute Religionis erga DEUM, fideliter reddendi DEO, quod voto ei promissum est: & testimonium Nominis eius non assumendi in vanum; & hoc dicitur votum juratum: juramentum verò confirmatorium promissionis factæ homini, quod est pactum juratum, parit tum obligationem justitiæ, & fidelitatis erga promissarium, tum obligationem propriam juramenti erga DEUM, sicut indicat *S. Thom. cit. q. 89. a. 7. ad 3.* Denique juramentum confirmatorium promissionis factæ, & DEO, & homini, ut votum juratum dandi elemosynam pauperi, qui talem promissionem accepit, parit tres obligationes, duas Religionis erga DEUM, & tertiam justitiæ, ac fidelitatis erga pauperem: adeoque transgressio talis juramenti promissorii triplicem speciem diversam malitiam continet, nimirum violati voti, & juramenti, & pacti acceptati à paupere. *Laym. c. l. n. 5. & 6.*

XIV. Assertio secunda. Ad juramentum promissorium revocari potest juramentum fidelitatis, qua quis fidem suam alicui obstringit. Tale est juramentum fidelitatis, & obedientiæ, quod Episcopi in sui ordinatione præstare debent Romano Pontifici, cujus forma ponitur in *c. Ego; 4. h. t.* quod 7. capitula continet. Nimirum Primò jurare debet Episcopus, quòd fidelis erit S. Petro, & Romano Pontifici, eiusque Successoribus canonicè electis. Secundò, quòd neque consilio, neque facto juvabit, ut occidatur Papa, vel membro mutiletur, vel capiat. Tertio, quòd consilium Papæ ipsi quovis modo manifestatum ad damnum Papæ nulli revelabit. Quarto quòd Papatum Ecclesiæ Romanæ, & Regulas SS. PP. (id est Canones SS. Pontificum, & aliorum SS. Patrum per Sedem Apostolicam approbatos. *Hofsiens. hic V. Regulas;*) defendere velit contra omnes homines, & retinere, salvo Ordine suo (id est quatenus spectat ordinis sui dignitate, ac statu, honestè, ac decenter potest.) Quintò quòd vocat⁹ ad Synodum (Provinciale, quam indicit Archiepiscopus, vel ad Concilium Generale, quod indicit Papa. *Hofsiens. hic V. Synodum;*) venire velit, nisi canonicum impedimentum obstitit. Sextò, quòd Legatum Sedis Apostolicæ, si certum esse cognoverit (ex litteris suæ legationis) honorificè tractare, & in necessitatibus ejus adjuvare velit. Septimò denique, quòd Limina Apostolorum singulis annis per se, vel per certum nuncium visitare velit, nisi hujus obligationis remissionem à Papa impetrarit.

XV. Potrò quædam hæc sunt notanda. Primò. Idem juramentum non tantum Episcopi, sed etiam omnes alij Prælati, seu Abbates exempti edere debent in sui Benedictione, si dignitatem, aut electionis suæ confirmationem à S. Pontifice accipiant; ut tradit *Gl. fin. hic in addit. & Abb. in princ.*

Secundò. Episcopus non tenetur, vi hujus juramenti, assistere Papæ, si is bellum gerat cum Principe Christiano circa bona temporalia, cum non sit Vassallus ipsius: & hoc juramentum ei præstatur, quatenus Papa est, sive Papalem jurisdictionem, & potestatem obtinet super omnes Episcopos, non autem, quatenus tanquam Princeps secularis temporalia jura, & bona possidet.

Tertio. Quod dictum est de visitandis Liminibus Apostolorum quot annis, id procedit de Episcopis propinquis, non de remotis, hoc est, qui ultra Italiam sunt, vel saltem duorum dierum itinere Romam distant: hi enim satisfaciunt huic obligationi, & juramento, si singulis annis per chirographum, seu scriptum Romam missum de statu Ecclesiæ suæ Papam instruant. *c. Juxta; 4. & ibi Gl. V. De longinquo dist. 93.* Verum, quid hodie circa hoc statutum sit, videri potest constitutio Sixti V. edita die 20. Decembris Anno 1585. quæ refertur à *Quaranta in summ. Bullar. V. Apostolorum limina.*

XVI. Præterea prædictis addendum primò. Nullus Episcopus debet Clericos suos compellere, ad præstandum sibi juramentum fidelitatis, ac obedientiæ, nisi Ecclesiasticarum rerum dispensatio, seu administratio eis sit commissa; prout statuit Papa Urbanus in *c. Nullus; 5. h. t.* consentit *c. Legebatur; 3. de major. & obed.* Ratio est; quia juramentum est illicitum, non solum, quando sine iusta causa præstatur, sed etiam, quando sine illa exigitur, & extorquetur. *Arg. c. Nimis; 30. & c. Veritatis; 14. h. t. Barb. in Collect. hic n. 3.* Excipi debet, nisi simplex Clericus sit suspectus de inobedientia, ac rebellionem; tunc enim cogi potest ad jurandum. *Abb. hic n. 2. & colligitur ex cit. c. 3. & ibi Gl. V. Injuria, de major. & obed. Abb. n. 3.*

XVII. Addendum secundò. Etiam Romanorum Imperator in sua Coronatione præstare solet juramentum fidelitatis Ecclesiæ Romanæ, & Summo Pontifici: ut constat ex *Clement. Romani unice, h. t.* cuius juramenti tenor, & forma est talis. Ego N. Romanorum Rex, annuente Domino, futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor, atque juro, coram DEO, & B. Petro, me de cetero protectorem, procuratorem, & defensorem fore S. Pontificis, & hujus S. Romanæ Ecclesiæ, in omnibus necessitatibus, & utilitatibus suis, custodiendo, & conservando possessiones, honores, & jura ejus, quantum Divino suffulatus adjutorio fuero, secundum scire, & posse meum, rectè, & purè fide. Sic me DEUS adjuvet &c. ubi etiam hoc juramentum fidelitatis, & obedientiæ vocatur; quamvis verbum fidelitatis in ipsa forma non sit expressum. Ex qua Constitutione etiam colligitur, quòd tria juramenta Imperator præstet S. Pontifici: primum tempore suæ approbationis, seu confirmationis: secundum, cum ingreditur Italiam: tertium, tempore coronationis; ut notat *Abb. hic in fine.* De aliis verbis quæ continentur in hac Clement. partim dictum est supra lib. I. Tit. 6. n. 445. partim in ipso textu legi possunt, juncta *Glossa.* Potrò de juramento fidelitatis, eiusque forma, quòd præstat vassallus Domino feudi, agitur in *c. De forma; 18. caus. 23. q. 5.*

XVIII. Assertio tertia. Dividitur præterea juramentum in illud, quòd fit per simplicem confirmationem Divini Numinis, nempe quando simpliciter

DEUS invocatur in testem, ut Testor DEUM, iuro per Deum: & in illud, quod fit per execrationem, quo nimirum jurans, vel implicitè sibi ipsi, vel aliis sibi dilectis malum imprecatur à Deo falsitatis vindice: nisi verum sit, quod asserit, vel promittit; veluti, cum quis dicit: Sic me Deus adjuvet: nam dictum illud involvit mali imprecationem sibi, vel aliis sibi charis factam; ut si quis sibi, vel aliis mortem temporalem, vel æternam imprecetur, vel Dæmonis obsessionem, si verum non sit, quod dicit. *Suar. l. 1. de juram. c. 13. n. 27. & 28. & alij.*

XIX. Assertio 4. Juramentum quoque dividitur in Judiciale, quod in Judicio præstatur, & in Extrajudiciale, quod editur extra judicium. *Silvest. in summa V. Juramentum; 1. q. 2. num. 3. & alij communiter.* Juramentum judiciale in varias denovo species dividitur. Primum est juramentum calumniæ, quod Judex ex officio, post litem contestatam partibus deferre debet, de quo actum *suprà tit. 7.* Alterum est juramentum, quod dicitur in litem, idque triplex est: Primum dicitur juramentum veritatis, seu veræ æstimationis, quod deferretur ad cognoscendam quantitatem, seu valorem rei per alterius vim, vel dolum amissæ. *l. In actionibus; 5. §. Sed & in his; ff. de in litem jurando.* Quare, si constet, vel probatum sit, per vim injustam quidpiam ablatum esse, tum quantitas, seu æstimatio rei ablata per juramentum læsi, præcedente Judicis taxatione, probari potest. *l. Si quando; 9. C. Unde vi; & c. ult. de his, quæ vi met. caus.* Idque tum ob inopiam probationis; quia aliter id probari non potest: tum in odium delinquentis, seu vim injustam inferentis; ut tradit *Gl. communiter recepta in cit. l. Si quando; V. Manifestet; de hoc juramento etiam aliquid dictum fuit. l. 1. tit. 40. n. 9.*

Secundum dicitur juramentum affectionis: si enim res alicuius dolo, vel culpa alterius amissa, vel destructa sit, quæ ipsi valde chara erat, ob singularem utilitatem, v. g. Codex, in quo notata sua quis conscripserat: tunc permittitur ipsi eius pretium, secusdum privatam affectionem, & utilitatem æstimare, præcedente tamen Judicis taxatione, ne in immensum ob affectionem juretur. *l. Videamus; 4. §. Deferre; ff. de in litem jurand. Laym. l. 4. tract. 3. c. 5. num. 1.* Ubi tamen notandum est discrimen inter hoc, & prius juramentum: nam in juramento æstimationis, auditio læso, cui vel damnum illatum est ex delicto, vel quia expensas fecit propter contumaciam Rei absentis, juxta *l. Sancimus; 15. C. de judic. & c. Constitutus; 12. de procurat.* Judex prius definire debet quantitatem, & postea deferre juramentum, videlicet, ut pars juret tantum, & non minus damni illatum, vel expensarum factum esse: adeoque condemnare debet eum, qui damnum inculit, vel contumaciter absens fuit, ad restitutionem, ita, ut non condemnetur in minus, quam juratum fuit; prout habetur in *Auth. Post jusjurandum; C. de judic.* Ratio est; quia, si Judex post juramentum taxaret, seu minueret quantitatem, juramentum Reum periurii argueret; sin autem Reum in minus condemnaret, quam Judex taxarit, & juratum fuit; tum iniustam sententiam tulisset, nisi constaret de evidente errore ab ipso commisso. *Innoc. in cit. c. ult. De his, quæ vi & c. num. 5. Imol. ibid. num. 8. & Laym. num. 4.* Alia verò ratio est de juramento affectionis: nam sæpe fit, ut possessor rem suam, ob ni-

Tomus II.

miam erga illam affectionem, pluris æstimet, quam revera secundum communem, & veram æstimationem, valeat; ideo Judex etiam post præstitum juramentum, pretium rei definire, & in minus, quam juratum fuit, condemnare potest, juxta *cit. l. Videamus; 5. Item videndum; & ibi Gl. V. Ex magna causa; Vers. Tu dicas; ff. de in litem jurand. Imol. in cit. c. ult. n. 2. & 8. Laym. ibid. in fine.*

Tertium dicitur juramentum super interesse singulari, & extra rem: nam, si quis v. g. pecuniam deposuit apud alterum, isque propterea, quod suo tempore non fuerit restituta, per accidens damnum passus est; quia pretium frumenti, vel vini interim crevit, talis potest hoc damnum suum, juramento interposito, æstimare. *l. Nimis; 3. ff. de in litem jurando. Laym. cit. c. 5. n. 1.*

XX. Tertia species Judicialis juramenti dicitur litis decisivum, quod partibus in Judicio ad definiendas, seu decidendas lites deferretur. Et huius quoque tres assignari solent species, nempe iuramentum voluntarium, judiciale, & necessarium. Voluntarium dicitur, quod à parte parti in Judicio deferretur, idque simpliciter recusari potest, non minus, quam si extra Judicium deferatur. *c. ult. h. t. Wesenb. in parat. ff. de iurejur. num. 7. Laym. cit. c. 5. n. 2.* Alii verò putant, voluntarium iuramentum dici, quod ex conventionione utriusque partis, per modum transactionis, extra Judicium deferretur. *l. Iusjurandum; 17. in princ. ff. eod. ita appellatum, quod ex voluntate, & sponte suscipiatur; idèque etiam conventionale vocatur. Gl. in cit. l. 1. V. Portione; ff. h. t. quando scilicet partes, extra Judicium, contententes super re aliqua, conveniunt inter se, ut ab alterutra parte iuretur, & sic negotium, sive controversia terminetur, ut resuscitari nequeat. Verum tale iuramentum ad lites in Judicio decidendas non fertur; idèque huc non pertinet; ut notat *Wesenb. c. l. Judiciale verò iuramentum specificè sumptum, dicitur, quod à parte parti deferretur in Judicio, Judice approbante, sive eius auctoritate interveniente: non est autem necessarium; quia & liberè suscipitur, & ab eo, cui delatum est, referri potest, cit. c. ult. h. t. & l. Iusjurandum; 34. §. Datur autem; ff. eod. Necessarium iuramentum dicitur, quod, ob inopiam, seu defectum plenæ probationis, alterutri parti litigantium per Judicem, sive ex officio, sive ad instantiam alterius partis, deferretur; idèque etiam suppletorium iuramentum vocatur: dicitur autem necessarium; partim, quia Judex quandoque illud deferre cogitur, partim quia delatum sine iusta causa recusari non potest. *cit. c. ult. & l. Generaliter; 12. §. Sin autem; C. de reb. cred. & iurejur. Gl. in cit. c. 1. V. Portione; ff. h. t. Wesenb. n. 7. ff. eod. Laym. cit. c. 5. n. 2.* qui tamen, omisâ tertiâ specie iuramenti decisorii, iuramentum iudiciale solum dividit in necessarium supra descriptum, & voluntarium: & hoc ait esse illud, quod à parte parti in iudicio deferretur, & simpliciter recusari potest: quamvis, si deferatur, Judice approbante, quodammodo necessarium sit; quia vel iurate debet is, cui delatum est (nisi iustam causam recusandi habeat) vel referre. *l. Manifesta; 38. ff. h. t. quæ ex infra dicendis magis patebunt.***

§. III.

*Qua persona iurare possint
in Iudicio?*

XXI. Assertio 1. Omnes homines rationis usu præditi, ex natura rei, sunt capaces iuramenti edendi, etiam pueri, ante pubertatem; prout constat ex c. 1. de delict. pueror. ubi habetur, pueros ante XIV. ætatis annum peccare posse; cõsequenter etiam jurare; quia contrariorum est eadem ratio: quamvis impuberes non sint cogendi ad jurandum in Iudicio. c. Parvuli; 14. c. Pueri; 15. caus. 22. q. 5. cuius rationem dat S. Thom. 2. 2. q. 80. a. 10. in corp. quia nondũ habent perfectum usum rationis, quo possint, cum reverentia debita, iuramentum præstare. Imò ad jurandum in Iudicio non sunt admittendi; quia nondũ tantam rationis discretionem habere censentur, ut eorum iuramentum, cum partis litigantis præiudicio, debeat recipi. Sanch. lib. 3. in Decal. c. 3. n. 6. Laym. l. 4. tract. 3. c. 12. n. 3. quamvis Suar. lib. 1. de iuram. c. 14. num. 5. putet, pueros ante pubertatem, si jurare velint in iudicio, non esse prohibendos, modò aliunde constet, illos esse sufficienter capaces iuramenti; nam, quòd non cogantur jurare, favor est, non pœna.

XXII. Assertio 2. Sacerdotes in levi causa non debent compelli ad jurandum in iudicio. c. Si quis Presbyter; 4. caus. 2. q. 5. ubi dicitur, Sacerdotes ex levi causa jurare non debent. Rationem dat S. Thom. c. l. non enim indiget dictum hominis confirmatione, nisi quia de eo dubitatur; hoc autem derogat dignitati personæ, ut dubitetur de veritate eorum, quæ dicit, & ideo personis magnæ dignitatis non convenit jurare. Verùm ob necessitatem, vel magnam utilitatem jurare possunt etiam Sacerdotes, videlicet ad sui purgationem, vel ad alterius innocentiam probandam, ne defectu probationis lædatur, vel rem suam perdat; item pro fide, pace, obedientia, absolutione à vinculo excommunicationis. S. Thom. c. l. Aror. p. 1. lib. 11. c. 11. q. 6. Silvest. V. Iuramentum; 2. q. 3. Sanch. c. l. n. 7. idque colligitur ex c. Significasti; 4. de elect. c. Ad reprimendum; 8. de offic. ordin. Ceterùm, etsi Clerici, exigente necessitate, etiam Sacerdotes possint iuramentũ præstare voluntarium coram laico, Arg. c. Exrescripto; 9. h. t. c. 2. de fideiussor. non tamen jurare debent, nec possunt in manu laici, sive coram laico, tanquam Superiore suo exigente ab ipsis iuramentum coactivum, sive necessarium: & ita intelligendum est, quòd dicitur in c. Nullus; 22. caus. 22. q. 5. ubi dicitur, nullus ex Ecclesiastico Ordine cuiquam laico quidpiam super SS. Evangelia jurare præsumat, quòd Gl. ibid. V. Laico; explicat de iuramento expurgationis, quòd Clericus non debet facere coram laico, saltem sine licentia Episcopi. Silvest. c. l. Sanch. c. l. n. 8. Laym. cit. c. 12. n. 5. addit Silvest. V. Iuramentum; 3. q. 2. c. Sanch. l. 3. c. 6. n. 35. posse laicos ob suspensionem pestis, & ad defensionem Provinciæ, vel Civitatis suæ, etiam à Clericis, & Religiosis exigere iuramentum, quòd non fuerint in loco infecto: nam, etsi non sint Superiores eorum, tamen id licitè exigunt; quia non est coactivum, simpliciter loquendo, cum non vi illatà exigant, sed tantum ex hypothesi, si civitatem ingredi velint. Notat tamen Laym. c. l. num. 5. magis decere Clericos, non corporali tactu, vel manu elevatione jurare, in-

star laicorum, sed interrogari tantum, postulatà ab eis sponsonem, & fide per sanctam consecrationem, & ihren geistlichen Würden / vnd Ehren; ut colligitur ex cit. c. Si quis Presbyter.

XXIII. Assertio 3. Periuri ad jurandum in iudicio non admittuntur, juxta cit. c. Parvuli; caus. 22. q. 5. & docet S. Thom. c. l. quia, cum semel eos peccasse constet, periculum, & suspicio est, iterum peccaturus. Id autem intelligendum est de iuramento, quòd ad honorem, vel favorem jurantis spectat, ut est iuramentum purgationis, vel probationis (supplendæ, vel etiam testimonii ferendi). At verò ea iuramenta, quæ parvis oneri sunt, quàm honori, ut est iuramentum calumniæ, & fidelitatis, quòd præstatur domino in causa fœdali &c. etiam perjuri, & alij infames præstare debent; ut docet Gl. in cit. c. Parvuli; V. Causa; Sanch. l. 3. cit. c. 1. n. 5. Laym. cit. c. 12. n. 5. Porro quamvis Sanch. c. l. velit, solum perjuros convictos, & damnatos in iudicio excludi à iuramento præstando in iudicio; alij tamen id extendunt etiam ad periuros notorios per evidentiam facti in re gravi, etsi non sint judicialiter convicti, aut damnati, ita, ut non sint admittendi ad præstandum in iudicio; vel, si admittantur, per exceptionem repelli possint. Silvest. V. Iuramentum; 2. q. 3. Aror. c. l. q. 6. Laym. c. l.

§. IV.

*De variis iuramentis illicitis, quæ
iurantem non obligant.*

XXIV. Regula generalis est, quòd iuramentum præstitum de re illicita, aut bonis moribus naturalibus, seu rectæ rationi repugnante; adeoque, quæ sine peccato præstari nequit, obligationem non patitur, neque observari debet: nam iuramentum illicitum non fuit, ut esset vinculum iniquitatis. c. Quamvis; 12. h. t. & non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum, juxta Reg. juris; 58. de R. l. in 6. dicitur autem esse contra bonos mores illud iuramentum, quòd ex parte objecti sui turpitudinem continet; ideòque prohibetur, ac illicitum est. Gl. fin. in cit. c. 58. in addit. Neque verò opus est absolutione à tali iuramento, cum nullam obligationem pariat. cit. c. Quamvis. Nunç ergo in specie de variis huiusmodi illicitis iuramentis, quæ sparsim in hoc tit. proponuntur, hoc §. & seqq. agemus.

XXV. Assertio 1. Iuramentum Principis de servanda moneta cusa, quam sciebat, tempore edicti iuramenti in legitimo pondere vitiatam esse, est temerarium ac illicitum; ideòque non servandum, nec absolutione indiget: si verò Princeps, cum juraret, se monetam servaturum, ignoravit, illam esse falsam, & vitiatam, sed putavit, esse legitimam, tum iuramentum eo modo, quòd potest, observari debet, curando aliam monetam probam cudi: ita statutum est in cit. c. Quamvis; h. t. Nam, cum Rex Aragoniæ à Consiliariis suis, quin potius deceptoribus, inductus fuisset, ut juraret, non requiritur populi consensu, se monetam, quæ ante mortem patris sui iusto pondere diminuta erat, ad certum tempus ita conservaturum; postea vidit, quòd propter monetam in pondere ita diminutam, & minoris valoris effectam, grave in populo scandalum oriretur: ideo petijt ab Innocentio III. absolvi à iuramento suo, quòd in-

indiscretè, ac temere ediderat. Respondit Papa, in hoc casu, non esse necessariam absolutionem; sed potius interpretationem faciendam esse; vel enim Rex, cum iuramentum hoc fecit, crederet, monetam esse falsam, vel esse legitimam: si prius; iuramentum est illicitum, & nullatenus observandum, sed poenitentia temere juranti est imponenda, cum iuramentum institutum non fuerit, ut esset vinculum iniquitatis: si posterius; iuramentum licitum est, & omnino observandum. Quare Papa suadet, & mandat Regi; ut reprobatà, & abolitâ eâ monetâ, quæ legitimam pondus non habebat, aliam legitimam nomine Patris sui, cudi faciat: & hac ratione iuramentum suum observabit, & populi damnum evitabit. Verùm in priorè casu, si videlicet Rex, cum iuraret, scivisset, monetam legitimo pondere diminutam esse (ideòque conscientia eum mordet) peccatum confiteri, & competentem satisfactionem, propter illicitum iuramentum sibi iniunctam, implere debet.

XXVI. Pro explicatione huius c. Notandum primò. Qui scienter jurat illicitum, non indiget absolutione; quia iuramentum non tenet, adeòque nec servari debet: qui verò jurat, putans, rem esse licitam, is debet servare iuramentum in eo, in quo licitè servari potest: nam, si iuramentum in materia, vel forma specifica servari non possit, debet servari in alia æquivalente, sive eo modo, quo licitè potest. *Abb. hic num. 2. & patet ex casu huius c. in quo Rex Aragoniæ juravit, se servaturum monetâ à patre suo cufas; quia tamen eas, quippe iniuste ac diminuti ponderis, licitè servare non poterat; ideo præcepit ei Pontifex, ut alias iusti ponderis cudi curaret, nomine patris sui, posito, quòd, cum iuraret, ignoraverit, monetâ illas esse vitiatas. Rationem dat *Abb. c. l. quia iuramentum habet vim clausulæ: Si non valet, quod ago, ut ago, valeat, ut valere potest. Quòd si quis juravit rem licitam, quam per errorem putavit esse illicitam, cognitâ veritate, debet observare iuramentum; quia licitè potest plus enim debet valere, quod est in veritate, quàm quod est in opinione. l. 1. C. Plus valere, quod agit. &c. quamvis poenitere debeat de peccato; quia habuit intentionem iurandi illicitum. *Vivian. hic in Ration. Jur. Pontif. Barb. in collect. hic num. 1.***

Notandum secundò. Principem, sine populi, vel saltem maioris partis consensu, non posse mutationem monetæ facere, sive intrinsecam, videlicet instillat pondus minuendo, vel deteriorem materiam admiscendo: sive extrinsecam, nempe valorem extrinsecum augendo, ultra pretium, seu valorem intrinsecum; ut colligitur ex hoc c. Ratio est; quia mutatio monetæ in grave damnum Communitatis cedit: non potest autem Princeps arbitrari suo disponere de bonis subditorum, sine eorum consensu. *Io. Andr. hic num. 2. Abb. num. 1. Laym. l. 2. tract. 3. p. 1. c. 5. q. 2. num. 7.*

Notandum tertio. Substitutum sequitur naturam, & conditiones eius, cui substituitur; prout sumitur ex hoc c. ubi ex mandato Pontificis Rex substituit monetam probam, & legitimam, in scripto nomine patris, perinde, ac si ab ipso cusa esset. Verùm nihil refert, utrum cudatur sub nomine patris, an

fili, vel quæ figura ponatur, aut inscriptio, dummodo non falsetur moneta, nec per hoc præiudicetur alteri: sic enim & picturæ antiquæ aboleri, ac renovari solent, perinde, ac si eadem fuissent: quod tamen non est concessum in Instrumentis propter periculum fraudis. *Gl. hic V. Patrius; iunct. Gl. marg. lit. d.*

XXVII. Assertio 2. Iuramentum Prælati metu extortum de non repetendis rebus, seu bonis Ecclesiæ per vim iniustam ablatis non valet, neque obligat; prout sumitur ex c. *Pervenit; 2. h. 1. secundum unam illius expositionem: ubi habetur, quòd Arnulphus Comes Episcopum Laodicensem; spoliavit rebus suis (id est, Ecclesiæ suæ) ut explicat *Gl. hic V. Rebus suis; quæ quodammodo sunt Episcopi, videlicet quoad utilitatem (quæ fructus, ac redditus ex illis percipit) eumque ad iurandum compulit; se ablata non repetiturum. Hoc intellecto, respondit Gregorius Papa, ipsum Episcopum ex iuramento hoc obligationem non contraxisse; se tamen eum à coactio isto iuramento absolvere. Ratio est; quia, licet aliàs iuramentum metu, & iniuste extortum sit obligatorium, cum metus non tollat consensum, si sine periculo animæ, & peccato servari possit; ut tradit, *Gl. hic V. Possesse constringi; Abb. n. 2. de quo infra. tamen hoc iuramentum fuit de re illicita: cum enim Prælati ex officio suo, adeòque ex iustitia obligatus sit ad repetendas res Ecclesiæ, quæ iniuste alienatæ, vel ablatæ sunt, c. si quis; 6. de reb. Eccles. non alien. per consequens iuramentum hoc de ijs non repetendis factum fuit de re illicita; adeòque obligare non potuit. *Gl. c. l. Aliud est, si Prælati fuisset rebus proprijs spoliatus, & metu coactus iurasset, se eas non repetiturum: tunc enim teneretur iuramentum servare. c. Si verò; 8. h. 1. quia de suis rebus potest disponere pro suo arbitrio. *Gl. hic V. Possesse constringi. Accedit, quòd hoc iuramentum promissorium cedit in damnum iniustum tertij, videlicet Ecclesiæ; & consequenter non valet, cum illud sine peccato observari non possit. c. Venientes. 19. iunct. *Gl. Magnâ in notat. h. 1. cum enim Prælati non sit Dominus rerum Ecclesiæ, sed Custos, & Administrator, c. 2. de donat. iuramentum ab ipso factum non potest cedere in detrimentum Ecclesiæ. Quare secundum hanc expositionem dicendum est, quòd Papa absolvit Episcopum à iuramento solum de facto, & ad cautelam; vel potius absolvit, id est, per sententiam declaravit, illum iuramenti vinculo non esse obligatum. *Gl. fm. hic. prout in simili habetur in c. Audivimus; 4. iuncta *Gl. V. Absolvendos; caus. 24. q. 1.********

XXVIII. Verùm alium intellectum, & explicationem adfert *Abb. hic n. 1. quam sequitur Sanch. lib. 3. moral. c. 11. n. 37. Nempe hic sermonem esse, non de rebus Ecclesiæ, sed suis, sive proprijs Episcopi; res enim Ecclesiæ valde improprie dicuntur Episcopi; adeòque iuramentum ipso iure validum fuit, & obligatorium secundum hanc expositionem. Vnde, cum hic dicitur, Episcopum nullius iuramenti vinculis posse constringi, intelligi debet quoad effectum confirmandi actus, quibus adijcitur iuramentum, irrevocabiliter ita, ut non sit locus relaxationi iuramenti: & ita verbum, *Absolvimus*, ibi positum proprie debet accipi; quia causa absolutionis est metus, sive coactio; ut patet ex verbis in fine positis: metus autem non facit, ut non obliget iuramentum, sed ut iuste relaxetur. Vtraque expositio est probabilis, sed posterior videtur litteræ, ac textui*

conformior. Aliam explicationem adfert. *Barb. in Collect. hic n. 4.* quæ apud ipsum videri potest.

XXIX. Assertio 3. Si Episcopus, vel alius Prælati juravit aliqua se servaturum, quæ in Episcopalis dignitatis, vel potestatis, aut Prælati præiudicium vergunt, iuramentum tale non valet, neque obligat; prout sumitur ex *c. Sicut nostris; 27. h. t.* Nam vacante Ecclesiâ Tudertinâ, Canonici, antequam tractatus aliquis de Episcopi electione haberetur, in quædam Capitula jurârunt, quæ in damnum potestatis, ac juris Episcopalis vergebant; postea Episcopus electus, qui & ipse capitula illa iuramento approbaverat, tanquam Canonicus, & eo tempore in minoribus adhuc constitutus erat, consuluit Papam Innocentium III. utrum his iuramentis obligaretur, videns, quod per ea Episcopales redditus minuere (ut haberetur in integra lectione huius *c.*) Pontifex, impositâ congruâ pœnitentiâ dicto Episcopo, ob incautum, & temerarium iuramentum ab ipso editum: & considerans, quod iuramentum non fuerit statutum, ut esset vinculum iniquitatis, & quod non iuramenta, sed periuria potius dicenda sunt, quæ contra utilitatem Ecclesiasticam attentantur, mandat Episcopo Ameliensi, ut super his inquisitionem instituât apud Canonicos, & si, quæ dicta sunt, vera cognoscat, videlicet, quod iuramenta illa in damnum Episcopalis juris edita sint, sic attentata in statum pristinum, appellatione remota, reducat. Ratio est; quia Canonici, Sede vacante, nō possunt iuribus Episcopatus, aut Prælati quidpiam derogare, vel disponere in eorum præiudicium. *c. 1. & seqq. Ne Sede vacante aliq. innov. nec redditus Episcopales diminuere, c. Si quis; 42. & ibi Gl. V. Rescisso; caus. 12. q. 2. Gl. hic V. In damnum.* Vnde, quidquid contra actum est, etsi iuramento firmatum sit, irritum est, & non obligat. Quin imò ipse etiam Episcopus, si voluisset, agere potuisset ad recuperanda jura, & redditus Episcopales; tum quia in id, quod vacante Sede actum, & statutum erat, antea consenserat, & iuraverat, tanquã Canonicus; id ipsū postea revocare potuit, tanquã Episcopus. *Arg. c. Quod sicut; 28. in fine. de elect.* nam quædam facit quis tanquã alius. *Gl. fm. hic. tum quia alienatione iurium Episcopatus etiam is, qui eam facit, revocare potest, allegando propriam turpitudinem; ut docet Laym. lib. 3. tract. 4. c. 10. n. 4. & alij apud ipsum.*

XXX. Hinc inferitur primò. Quod Papa non tenetur ad observationem capitulorum factorum à Cardinalibus in Conclavi, etiam juratorum, cum ipse quoque tunc esset Cardinalis, si tendant in præiudicium dignitatis Papalis. *Abb. hic n. 1. Paris. l. 3. de resig. benef. q. 18. num. 100.* Secundò. Si Episcopus in capitulatione sua iuravit, se nihil facturum, nisi cum consensu Capituli, vel nullum privilegium datum sine eiusdem consensu, per tale iuramentum non restringitur eius Episcopale officium, & potestas, quod ipsi secundum Canones competere debet; quia intelligi debet solum in ijs rebus, in quibus consensus Capituli secundum Canones requiritur: ac proinde in alijs adhuc agere potest omnia sine consensu Capituli, ac si non iurasset; prout aperte colligitur ex hoc *c.* in quo deciditur, quod tale iuramentum non sit extendendum ad ea, quæ derogant iuribus Episcopalibus, sive Episcopali eius Officio, ac Potestati. Tertio, universim loquendo, iurans, ante suam electionem, vel promotionem ad dignitatem aliquam, etiam se-

cularem, non tenetur, vi iuramenti, postquam ad illam assumptus est, ad observationem eorum, quæ vergunt in præiudicium illius dignitatis. *Arg. hinc c. Abb. hic. num. 1. Barb. in Collectan. num. 5.*

Ceterum in hoc *c.* iuramentum factum contra utilitatem Ecclesiæ vocatur periurium, late loquendo; quia nimirum est temerarium, & illicitum, non autem est periurium propriè dictum, sive sumptum pro violatione iuramenti illiciti, cum non peccet quis non servando iuramentum illicitum, sed peccat temerè iurando. *Abb. hic. num. 1.*

XXXI. Assertio 4. Iuramentum factum patronis presentantibus ad beneficia de antiquo censu, seu pensione augenda, non obligat, neque servandum est; quia, licet Patronus, qui Ecclesiam fundat, ædificat, aut dotat, pensionem annuam sibi ex ea solvendam, cum Episcopi consensu, reservare possit. *c. Præterea; 23. de iure patron.* postea tamen nihil exigere potest ab Ecclesiâ, nec pensionem augere. *c. Prohibemus; 7. de censibus; adeò, ut, licet Clericus Beneficiarius iurata pensionem maiorem soluturum, irritum censi debeat iuramentū, quippe factum contra Generalis Concilij Lateranensis prohibitionem in *c. c. Prohibemus; prout habetur in c. Gravis; 19. & ibi Gl. V. Absolvo; ordinis.**

Idque confirmatur ex *c. Tua nos; 11. h. t. ubi habetur, Quod Patroni quidam, cum presentant Clericos ad Ecclesias, iuramento eos sibi obstringant, quod maiorem, quàm antea solitum erat, pensionem ipsis solvere, vel ultra illam aliquid præstare velint, postea verò, cum ab Episcopo instituuntur, iterum iurare debeant, quod antiquam, & solitam pensionem Patronis præstandam augere nolint. Consultus Pontifex Lucius III. utrum iuramentum sit servandum? Respondit, quod, cum posterius iuramentum, quippe quod ratione (cum tendat in commodum ipsius Ecclesiæ) & auctoritate Concilij Lateranensis iuratur, priori iuramento præiudicat, quod de cupiditate processit: (ideòque non servandum fuisse, etiam si posterius iuramentum de pensione non augenda editum non fuisset; ut notat *Gl. hic V. Primo præiudicat*) posterius servandum est. Verum ob periurium, quod Clerici isti vitare non possunt, iustum est, ut ab Ecclesijs perpetuò removeantur. Ratio decisionis patet ex textu; quia, cum primum iuramentum sit illicitum, ac temerarium; nam Beneficiatus non potest, propria auctoritate, se obligare ad solvendam aliquid in præiudicium Ecclesiæ. *Gl. hic V. Pro periurio;* posterius verò licitum, & conforme SS. Canonibus, ideo hoc est obligatorium, & servandum, non attento priore iuramento illicito.*

XXXII. Sed hinc iam oritur dubium, quomodo Clerici isti puniantur tanquam periuri, & removeantur à Beneficijs, cum prius iuramentum eos non obligaverit ad observationem, nec tenebantur illud servare, licet peccaverint sic iurando? Respondetur, quod Clerici isti non commiserint quidem periurium promissorium; quia prior promissio iurata de augenda pensione eos non obligabat; ideoque non tenebantur, nec debebant eam servare, & implere: periurium autem proprie dictum consistit in violatione promissionis, quæ iurans implere tenetur, nec sine peccato omittenda est: censentur tamen Clerici isti commisisse periurium assertorium, hoc ipso, quod duo contraria, aut contradictoria iurata asseverarunt, seu iuramento confirmarunt, videlicet, se antiquam pensionem

aucturos, & pensionē veterem non aucturos, seu majorem non soluturos: ergo alterā vice mendaciū, seu falsum dixerunt, idq; juramento scientes confirmarunt, ideōq; tanquā perituri merito puniendi, & beneficijs privandi fuerunt. Verumtamen; quia fieri poterat, ut praedicti Clerici praestantes juramentū verē habuerint animum, augendi pensionem, seu maiore, quā antea soliti erant, solvendi; postea verō poenitentia ducti, aut certiores facti, quōd juramentum illud non obliget, verē jurarunt Episcopo, cum eos institueret, se pensionem antiquam non aucturos esse, hoc casu, poenam privationis beneficiorum non incurrent, si id probare possint. *tit. c. Gravis; in c. l. Gl. V. Absolvendi. de censib.*

XXXIII. Assertio 5. Juramentū Monachi, vel alterius Religiosi iurantis, se ulterius cum alijs in Monasterio, in quo professus est, non mansurū, nō solum illicitū, sed etiā invalidū est; prout sumitur ex *c. Sicut; 13. h. t. ubi habetur, quōd R. Prior eiusdem Monasterij, ex calore iracundiae, iuravit, se in Monasterio, in quo professus est, cum G. Monacho non mansurū; quo cognito, respōdit Urbanus III. non licuisse Priori illi facere temerariū juramentū contra professionis suae fidē, & stabilitatis suae propositū. Vnde mandat Abbati loci talē poenitentia dicto Priori imponi, ut alij exemplo eius deteriti tale quidpiā facere petimēscant; ipse verō in Claustro, quippe, quod abiurare non potuit, stabili proposito permanens poenitentia sibi iniunctam exequatur. Nam poena delinquenti infligitur; ut multis alijs sit in timore. l. 1. *C. ad leg. Jul. repetund. de;* ut transgressio ultio fiat ceteris interdictio delinquendi; ut dicitur in *c. Quapropter; 47. caus. 22. q. 7. sive, ut alij caveant exemplo alieni mali. Porro, etiā non obliget juramentū ad Monacho, seu Religioso editū, non permanendi in Monasterio, ut patet ex hoc, & potest tamē licite ex iusta causa cū licetia Praelati, seu Superioris sui degere extra Claustri; ut notat *Abb. hic in fin.***

XXXIV. Assertio 6. Juramentū de non loquendo patri, vel matri, fratri, vel sorori suae, aut de non exhibēdo subsidia humanitatis personis coniunctis, est illicitū, & cōtrarium rationi, & qui sic jurarunt, absolventi sunt ab observatione huiusmodi juramenti, iniunctā ipsi, eō quōd malē jurarint, poenitentia competente; prout rescripsit Papa Urbanus III. in *c. Cum quidam; 12. §. Illi verō; h. t. Ratio patet ex textu; quia tale juramentū est illicitum; est enim contra Pietatem, & Charitatem parentibus, & propinquis debitam; adeōq; nullam obligationem parit; esset enim tale juramentum vinculum iniquitatis, si obligaret, quod esse non potest, *c. Inter ceteras; 22. caus. 22. q. 4.**

XXXV. Nec obstat, quōd in hoc *c.* dicatur, illos, qui sic jurarūt, absolventos esse ab illius observantia juramenti; ergo obligationē induxit; quia absolutio nihil est aliud, quā liberatio à vinculo obligationis. Nam respōderi potest, in primis requiri ibi absolutiōnē tantum ad cautelā; ut notat *Gl. hic V. Absolvendi*; non quōd necessarium sit petere talē absolutiōnē, cum tale juramentū, non solum impleri non debeat, sed nec possit, quippe de re illicita, sed dandā esse talē absolutiōnē petenti, ad maiore quietē illius, & satisfactiōnē, sicut interdū datur privilegium petenti illud, etiamsi non esset necessarium, cum iure comuni res ei cōpetat. *Suar. lib. 2. de juram. c. 15. n. 8. Vel potius eum eodem Suar. c. 1. dicendū est, textū huius *c.* intelligendū esse, non de absolutiōne vinculi dissolutiva, cum per illud juramentum nullū vinculū obligatorium sit contractū; sed de absolu-*

tione declarativa nullitatis vinculi, hoc est, sic jurantes licet peccaverint jurado, declarados tamē esse absolutos, seu liberos ab observantia juramenti: qui modus loquendi non est novus in iure, vel inusitatus; ut constat ex *c. Audivimus; 4. caus. 24. q. 1.* ubi verbū *absolvendi ab excommunicatione*, non significat solutionē, sed declaratiōnē; ut notat *Gl. ibid. V. Absolvendo*; dicēs, absolutos esse ostendēdo, id est, non ligatos. Vnde infert *Sanch. lib. 3. moral. c. 9. n. 19.* huiusmodi juramentū non indiget relaxatiōe, sed jurantem posse propriā auctoritate ei cōtravenire. Additur in *cit. §. Illi verō; illis, qui sic jurarūt, imponēdā esse cōpetentē poenitentia; non quōd non servarint illud, sed quōd malē juraverint; & olim quidē imponebatur poenitentia unius anni, iuxta *c. Qui Sacramento; 11. caus. 22. q. 4.* & notat *Gl. fin. hic.**

XXXVI. Assertio 7. Juramentū fidelitatis praestitū ei, cui non debebat praestari, non obligat, si sit cōtrarium ei juramento, quod alteri juras praestare debuisset; prout sumitur ex *c. Eate; 22. h. t. ubi talis casus proponitur: Papa Innocentius III. mādayit Archiepiscopo Turritano, ut à Iudice Carolitano juramentū fidelitatis exigeret, & reciperet Ecclesiae Romanae praestādū. Sed Iudex ille recusavit hoc juramentū praestare, praetēdēns, quōd iam antea Archiepiscopo Pisano, salvo Apostolicae Sedis honore, tale juramentū praestitisset. Ad hoc respondit Pontifex, onus non remitti, sed magis augeri, si alicui improvidē solvatur, quod alij ex debito praestādū esset. Quare, cum cōstet, dictū Iudicem ad fidelitatem Pontifici, & Rom. Ecclesiae, ac Sedi praestandā obligari, sequitur, juramentū, quod Archiepiscopo Pisano factū fuit, pro illicito habendū esse, si censetur esse cōtrarium ei juramento, quod idem Iudex Sedi Apostolicae, seu Ecclesiae Rom. praestare debet: ideōq; priore illicito juramento non obstante, licitū, imō & debitū Sedi Apostolicae adhuc praestādū erit: sin autē juramentū alteri praestitū (nimirū Archiepiscopo Pisano) non sit cōtrarium ei, quod Iudex ille praestare debebat Sedi Apostolicae, tū itidē illud huic Iudex praestare tenebitur. Ratio decisivis est; quia, si juramentū uni praestetur, quod alteri debet praestari, violatur jus illius, cui de iure praestandū erat; adeōque illicitū, imō & irritū est, quatenus cedit in praedictum, seu iniuriam alterius; prout sumitur ex hoc *c.* in quo Tribunal Iudicis Carolitani, cui scribit hic Pontifex, se iudi nomine obligatū fuit Sedi Apostolicae; ut notat *Hofsiens. hic V. cum igitur*, ideō, cum ad officium hoc assumptus fuit, debebat juramentū fidelitatis praestare Romano Pontifici: si ergo alteri, videlicet Archiepiscopo Pisano tale juramentum edidit, & quidem repugnans juri Sedis Apostolicae, sequitur, juramentū illud illicitum fuisse, & iniustum, nec observandum.*

XXXVII. Hinc colligitur 1. Is, qui uni solvit, quod alteri debet, non liberatur à debito, quin potius augetur debitū, seu aggravatur obligatio illius; quia iterū solvere cogitur ei, cui debet, *Abb. hic n. 1. §. 6.* unde si fur rem furto ablatam cum socio dividat, obligatio ipsius augetur; quia partē, quā socio dedit, ex suo restituere cogitur si socius ipsemet non restituat, quae abstulit, cum singulis teneantur in solidū, *Gl. hic V. Quod alij.* Quod autē dictū est, eum, qui uni solvit, quod alteri debitū est, non liberari, id intelligendū est, si sponte solvat: secus, si coactus solvat alteri, v. g. si à Tyranno, vel Praelato intruso per vim, vel gravē metū cogatur ipsi solvere, quod Reipublicae vel Ecclesiae debet; tū enim ita solvēs salte excipere potest cōtra verū creditorē, & liberatus cōsetur, ut ex Bart.

docet *Abb. hic. n. 1.* quia iniquum foret, si talis bis solvere cogere.

Colligitur secundò. Protestatio non excusat id, quod indebitè fit; ut in casu huius c. juramentum fidelitatis præstitum alteri, cui non debebatur, nempe Archiepiscopo Pisano, cum protestatione, salvo honore Sedis Apostolicæ; quia talis protestatio censetur factò contraria; ideòque non valet. c. *Solitudinem; 54. in fine de appellat.* Vt, si quis dicat per ignominiam, alterum mentiri, salvo honore eius. *Abb. hic. n. 2.* Nam verbum iniuriosum præcedens declarat, ipsum habuisse animum iniuriandi. *Alexand. de Nevo hic num. 7.*

Colligitur tertio. Si subditus iurat obedientiam, & fidelitatem ei, cui non debet, in præiudicium sui Superioris, vel Domini; tale juramentum est illicitum, & iniustum, nec sine peccato observari potest; cum non possit se obligare per juramentum in præiudicium iuris Superioris, c. *Venientes; 19. h. r. Abb. hic. n. 3.* Porro, si in casu huius c. Judex Carolitanus aliud feudum obtinisset ab Archiepiscopo Pisano, tunc juramentum fidelitatis ipsi præstitum validum fuisset, ac licitum; quia potest quis simul esse vasallus plurium Dominorum; & consequenter pluribus esse obligatus ad fidelitatem. *Abb. hic. n. 4.* non autem respectu eiusdem feudi.

XXXVIII. Assertio 8. si Rex alienat bona, ac jura pertinentia ad Coronam Regni, sive dignitatem Regiam, & juret, se eas alienationes non revocaturum; tale juramentum in præiudicium Regni factum illicitum est, & non observandum, ipsèque Rex, qui juravit, tenetur eas revocare, non obstante protestatione; imò etiam, vi juramenti in sua coronatione præstiti, de non alienandis juribus, ac bonis Regni ad hoc obligatur; prout statutum est in c. *Intellecto; 3. h. r.* Nam, cum intellexisset Papa Honorius III. quòd Rex Hungariæ alienationes quasdam, in præiudicium Regni sui, & contra honorem Regiæ dignitatis fecisset, eidem rescriptit (sicut & Archiepiscopo Colossensi, eiusque Suffraganeis) ut non obstante juramento, si quòd Rex edidit de alienationibus non revocandis, eas revocare non intermitteret, quia, cum teneatur ad hoc, & in coronatione sua juraverit, quòd jura Regni, & honorem Coronæ illibata servare velit; consequenter illicitum, & non observandum est juramentum, si quòd edidit de non revocandis alienationibus. Ratio autem, cur talis alienatio, non obstante juramento, revocari debeat, duplex assignatur in hoc c. videlicet, quia juravit, se non alienaturum jura, & bona Regni; & quia ius, seu potestatem alienandi non habet: & ideo juramentum de non revocanda tali alienatione erat illicitum, & iniustum, utpote de re illicita, & iniusta, nec obligabat; prior autem ratio per se sola non sufficeret: nam, quamvis Rex, alienando bona Regni sui, contra juramentum prius præstitum de illis non alienandis, fuerit periurus; alienatio tamen valeret, si secundum se esset licita, & Rex potestatem alienandi haberet: sicut si quis jurat, se testamentum non revocaturum, & postea revocet, is periurus est, sed revocatio valet; ut docet *Abb. hic. n. 8. & Laym. l. 4. tract. 3. c. 8. n. 5. ex communi.* At verò posterior ratio etiam per se sola sufficit, nimirum, quòd Rex, etiam secluso juramento de bonis Regni non alienandis, potestatem ea alienandi non habet: unde, quamvis illa obligatio, vel promissio non alienandi non fuisset prius juramento firmata, tamen juramentum postea factum de non revocanda alienatione esset invalidum, utpote de re in-

iusta, nam tenebatur Rex ex iustitia alienationem illam revocare, quippe factam à non habente potestatem alienandi, contra ius commune, & quidem in præiudicium Regni sui. *Abb. hic. n. 6. in fine tit. sit tamen in hoc c. etiam mentio prioris juramenti de non alienando editi, ad exaggerandam transgressionem: non quia illud fuisset necessarium ad nullitatem posterioris juramenti, de non revocanda alienatione; quod nihilominus invalidum, & nullius roboris fuisset, etiam si juramentum de non alienando non præcessisset; ut rectè notat *Suar. lib. 2. de juram. c. 30. num. 9.**

XXXIX. Porro ratio, cur Rex non possit alienare bona, & jura Regni, sicut nec Imperator bona Imperij, est; quia illa pertinent ad Regnum, & Regiam dignitatem; non autem sunt propria ipsius Regis, vel Imperatoris, licet in illis præmiam jurisdictionem, & administrationem habeat. *Abb. hic. n. 1.* nam cum Regnum, vel Imperium certà lege à populo translatum sit in unum Regem, vel Imperatorem, videlicet, quoad jurisdictionem, administrationem, & conservationem iurium, ac coronarum Regni, vel Imperij, quæ cum sit lex fundamentalis, secundum quam forma Regni instituta censetur, in perpetuum; & immutabiliter, ortum habens ex pacto inito inter populum, ac Statum Regni, & ipsum Regem, ideo à Rege, vel Imperatore tolli, mutari, aut relaxari nunquam potest. Ex quo sequitur, quòd alienatio bonorum Regni à Rege indebitè facta, à Proceribus Regni, vel successore revocari possit. *Felin. in c. Ad audientiam; 13. num. 3. & 4. de prescrip.*

Aliud est de capitulationibus, quæ in electione Regis, vel Imperatoris ab Electoribus ipsi proponuntur, ut juret, se eas observaturum, ijs enim per modum contractus obligatur Rex, vel Imperator; si ab eo acceptatæ sint, & juramento confirmatæ, quamvis successorem non obligent, cum juramentum sit obligatio merè personalis. Nisi tamen huiusmodi pacta derogent potestati, ac dignitati Imperatoris, vel Regis; tunc enim etià iurate non obligant, quin ab electo postea revocari possint; ut patet ex c. *Sicut; 27. h. r. Barb. in Collect. lib. 1. n. 5.*

X L. Ceterum, quòd dictum est, Regem, vel Principem non posse alienare bona Regni, vel Provinciæ, id limitatur, Primò, nisi per talem alienationem non lædatur, aut minuatur dignitas Regni; vel bona sint modica, eique parum utilia. *arg. c. Benevolas; 13. cap. 12. q. 2.* ubi dicitur, quòd Episcopus, cum consilio Capituli, alienare possit bona Ecclesiæ parva, vel minus utilia; ergo multò magis Rex, etiam sine consensu Statuum; cum proprium Regum sit, liberaliter donare, c. *1. de donat. Abb. hic num. 7.*

Secundò, Rex ob iustam causam, cum consensu Procerum, alienare potest jura, & bona Regni, & in extraneum etiam transferre, v. g. post bellum factum re inito cum hoste ob necessitatem; ut docet *Rota thael. tract. de feud. c. 5. concl. 12.*

Tertio, Rex bona aliqua Regni, ex causa iusta, in feudum dare, vel aliter concedere potest, reservatà sibi supremà jurisdictione, ac dominio directo: idque procedit etiam quoad bona, quæ antea in feudum, vel aliter concedi non solebant; modò talis nova infeudatio, seu concessio fiat, ob gravem causam, seu necessitatem, & non cedat in grave præiudicium dignitatis Regiæ, & læsionem, seu imminutionem iurium, ac reddituum Regni; cum talis alienatio à Rege fieri non possit, sine consensu Procerum Regni, juxta receptam doctrinam Canonistarum in c. *2. de suppl. negl. prel. in 6.* Arque

Atque hæc pro explicatione huius c. allata sunt, cum alioquin aliò pertineant.

XXI. Assertio 9. Quamvis iuramentum de non revelandis secretis, quæ alicuius fidei sunt commissa, obliget iurantem ita, ut, si contra iuramentum editum illa revelet, fiat periurus; ut constat ex lib. de pace conservanda. cap. unic. §. In Christi nomine. & ibi Gl. V. Credentibus; si tamen is, qui iuravit, se non revelaturum secreta, producat in testem, & legitime à Iudice interogetur, tenetur dicere veritatē, & revelare secretum, non obstante iuramento; ut docet Abb. in c. Intimavit; 18. n. 3. sup. de testib. quia hoc casu tale iuramentum sine peccato observari non potest, cum sit illicitum: nam testis celans veritatem in Iudicio graviter peccat. c. 1. iuncta Gl. V. Occultant; de testib. cogend. Hiltrop. in process. iudiciali. p. 3. tit. 18. §. de iuramentis, quæ non obligant &c. num. 33. & 34.

§. V.

De quibusdam iuramentis illicitis, qua inter coniuges edi solent.

XXII. Assertio 1. Si coniuges temere, & sine iusta causa, mutuo consensu, inter se paciscantur, & iurent, quòd alter ab altero debitum coniugale nunquam petere velit; ideoque quoad torum, & cohabitationem ab invicem se separent, irrita est promissio, quamvis iurata: ut constat ex c. Tua nos; 24. h. t. Nam, cum duo coniuges iurassent, se nunquam ab invicem debitum coniugij petituros; sed maritus postea penitens uxorem repeteret, illa ad eundem redire noluit, dicens, se potius velle ad Saracenos ire, quam ad virum redire. Consultus super hoc Innocentius III. mandavit Archiepiscopo Tarraconensi, ut coniuges hos ad continentiam servandam hortetur, & inducat, quæ si voverit utque, & observare voluerit; tunc permitteat illos seorsim, sive ab invicem se paratos comorari; alioquin, si vir noluerit continentiam observare, mulierem per censuram excommunicationis appellacione remotâ, compellat, ut ad virum revertatur, & tantum quam vxor cum eo moretur, & convivat cum temerarium fuerit eorum iuramentum, & adulterium ab utroque sit commissum. Ratio decisionis est; tum quia tale iuramentum repugnat sine Matrimonij, quod est institutum ad coniugij usum, propter proles generationē, & fornicationē vitandam; ut colligitur ex Apostolo 1. ad Cor. 7. v. 2. tum quia perbet occasione adulterandi; ideoque temerarium, ac illicitum est iuramentum, nec obligat.

XXIII. Id autem intelligendum est, si coniuges temere, & sine iusta, ac honesta causa, tale iuramentum perpetuo se parandi se quoad torum, & cohabitationem, edunt: nam, si coniuges mutuo consensu pactum, aut iuramentum faciant continendi, seu abstinendi ab usu coniugij, causâ pietatis, & continentia, illud validum est, ac obligatorium. c. Quod Deo; 4. caus. 33. q. 5. c. Sunt qui dicunt; 19. caus. 27. q. 2. nam nulli per tale pactum, vel iuramentum irrogatur iniuria; coniuges enim cedunt iure suo. Sanch. lib. 9. de matr. dis. 37. n. 17. ubi respondet ad textum huius c. quòd coniuges isti, non amore continentia servandæ, id iuraverint, sed ex causa iniusta, & passione. Consentit Abb. hic n. 5. ubi ait, quòd in casu huius c. coniuges se à mutua cohabitatione separarint ex quadam levitate, & temeritate, idque patet ex fine textus, ubi dicitur, quòd uterque coniugum post separationem, commisit adulterium.

XLIV. Vbi Notandum præterea primò. Si coniuges mutuo consensu voveant, vel iurent continentiam, liberantur quidē ab usu debiti coniugalis, non tamen à mutua cohabitatione, aliisque obsequijs charitatis; ut docet Turrecremata in cit. c. Quod Deo; n. 2. Sanch. cit. l. n. 14. & lib. 9. dis. 11. n. ult. Quare maritus, & uxor, post editum continentia votum, tanquam frater, & soror in eadem domo, ac mensa simul vivere debent, lectis tamen, & cubiculis separatis: dummodo id honestè, ac decenter fieri possit; nam magis decens est, ut Presbyter, & multò magis Episcopus uxorem prius ductam in separata domo alat, eiq; de victu, & vestitu provideat, ad vitandam suspensionem, aliâque incommoda, sicut habetur in c. Omnia; 1. dis. 3. Vnde, cum dicitur in hoc c. quòd, quando coniuges, mutuo consensu, voverunt continentiam, permittendi sint, ut unus sine alio comoretur, id non sic intelligendum est, quòd ita separandi sint ab invicem, ut mutua charitatis officia sibi non exhibeant, sed quòd non debeant convivere tanquam maritus, & uxor, adeoque quoad torum separati manere debeant, ut dictum.

Notandum secundò. Si post editum mutuo consensu inter coniuges votu continentia alter adulterium committat, vel etiam uterque, ut in casu huius c. non possunt à Iudice Ecclesiastico cogi ad cohabitandum, redintegrato matrimonio, etiam si periculum voti non servandi perseveret; quia absurdum est, ut peccatum à voti obligatione eximat; & contra incontinentiam alia remedia adhibere tenentur, ut ieiunia, orationes &c. donec ab eo dispensationem impetrent, qui potestatem illam habet, videlicet à Papa. Alexand. de Nevo hic n. 9. & 10. Sanch. cit. dis. 37. n. 12. in fine, contra Abb. hic n. 6.

XLV. Assertio 2. Si Maritus vxori iuramento promittat, se illam de nullo crimine committendo accusaturum, tale iuramentum est temerarium, & illicitum, neque obligat; prout sumitur ex c. Quemadmodum; 25. §. Illud autem; h. t. Vbi Papa Innocentius III. ita describit; Temerarium procul dubio est iuramentum, si maritus iuratus promittat uxori, quòd eam de nullo crimine (scilicet committendo, & nondum perpetrato. Gl. hic V. Crimine; & Hostien.) accusare velit: nam aliàs, si mulier infidelis fuerit, & marito absque iniuria Creatoris, cohabitare nolle, vel illum ad infidelitatem trahere conaretur, deberet utiq; eam impetere, sive accusare apud Iudicem, & si respicere nolle, eam secundum Canonicas sanctiones (c. Si infidelis; 57. caus. 28. q. 1. & c. Quanto; 7. de divor-tijs) dimittere. Sed quid, si vir expressè, seu specificè iurasset, quòd eam super adulterij crimine (si fortè commiserit) impetere, sive accusare nolle, à ne servandum esset tale iuramentum? Videtur, quòd non; cum teste S. Scriptura, patronus turpitudinis sit, qui celat crimen uxoris (prout refertur in c. 1. caus. 32. q. 1.) & secundum regulam Evangelij (Mar. c. 18.) si primò, & secundò correpta vxor respicere nolit, dicendum est Ecclesiæ, ut tanquam ethnica, & publicana vitetur; ne alioquin libera ei peccandi facultas tribuatur. In contrarium verò est, quòd vir uxori peccanti, non solum septies, sed etiam septuagies septies dimittere potest, secundum Evangelij veritatem, loc. cit. adeoque videtur servandum esse tale iuramentum. His in utraq; partē perpenis, respondet Pontifex, tutius esse in hoc casu, ut maritus, propter iuramenti religionē, non accuset uxorem ad divortium celebrandum (propter adulterium postea commissum)

missum) sed eam ad poenitentiam agendam Ecclesie denunciet.

XLVI. Porro ratio, cur iuramentum à viro præstitum de illa non accusanda, si ad alterum commiserit, sit irritum, & non obligatorium, est; quia talis promissio, ante delictum commissum facta est turpis, & illicita, invitatur enim hominem ad liberius peccandum, promissa ei impunitate, si peccaverit; id quod non est observanda. *Arg. c. pen. de consuetud. c. l. Illud; § ff. de pact. dor.* ubi dicitur, non valere pactum, quo aliquis invitatur ad delinquendum, v. g. si furatus fueris, non te accusabo; & in *l. Si unus; 27. §. Pactus; ff. de pactis*, dicitur, pacta, quæ turpem causam continent, non sunt observanda, veluti si paciscar, ne furti agam, vel iniuriarum, si feceris: expedit enim timere furti, vel iniuriarum poenam, quæ non timet, vel minus timet, qui accusationem non timet: ac proinde talis promissio est etiam noxia Reipublicæ, cuius interest, ne delicta maneat impunita. *Gl. in cit. §. Illud; V. Crimine; b. t.* Unde sequitur, quod neque iuramentum cadens super tali promissione facta, ante delictum commissum, eamque confirmans valeat, neque obliget; cum iuramentum sortitur naturam, & conditiones promissionis, cui adijcitur: idcircoque, si hæc sit invalida, etiam ipsum non obliget. *Laym. lib. 4. tract. 7. c. 6. n. 8.* Quamvis autem maritus non teneatur uxorem adulteram, post delictum commissum, accusare ad divortium instituendum, sed illi condonare, ac si iniuriam sibi illatam, & poenam civilem divortij; ut colligitur ex *c. Idololatria; §. in princ. caus. 28. q. 1. nam: cum hoc spectet ad ius privatum mariti, potest illi cedere; non tamen licitum est pacisci de non accusando criminaliter ad vindictam publicam, vel etiam civiliter ad divortium de crimine nondum commissum; quia prius peccandi occasio non præbet, quod posterius, cum ratione scandali in se contineat, sive præbet proximo occasionem liberius peccandi; adeoque, cum iuramentum illud non sit obligatorium, poterit, eo non obstante, maritus agere civiliter contra uxorem adulteram, ad divortium instituendum. *Io. Andr. in cit. §. Illud; n. 9. Abb. n. 14.**

XLVII. Sed ob stare videtur, quod in *cir. §. Illud*; ait Pontifex, tutius esse in hoc casu, ut maritus propter iuramenti Religionem non accuset uxorem adulteram ad divortium celebrandum, sed ad poenitentiam agenda eam denunciet Ecclesie: ergo iuramentum hoc de non accusanda uxore obligat. Variè ad hoc respondent DD. nam *Gl. ibid. V. Crimine; §. V. In hoc casu; Innoc. n. 3.* existimant, Pontificem locutum esse de iuramento circa adulterium iam commissum, quo sensu validum est, & obligat, quia bono publico non præiudicat: & certum, est licitum esse dolum, furtum, adulterium, vel aliud crimen præteritum, & iam commissum remittere, & de eo non accusare civiliter ad proprium interesse, iuxta *cir. l. Si unus; §. Pactus*; ubi dicitur. Sed post admissa hæc pacisci possumus *ff. de pact. neque videtur magnum esse inconveniens, quod in cit. §. Illud*; sit aliqua varietas in duabus questionibus ibi propositis, ita, ut in priori generali agatur de promissione iurata non accusandi uxorem de ullo crimine, scilicet committendo; ut patet ex verbis subiectis, *Quia si mulier fuerit infidelis &c.* & ibi dicitur, tale iuramentum esse temerarium, nec obligare, saltem, quando præceptum est accusare uxorem, vel pertinens ad bonum commune: tunc enim sine peccato, & detrimento boni communis servari non potest; ut docet. *Suar. lib. 2. de juran. c. 17. n. 14.* At verò in posteriore questione particulari agitur de iuramento viri non accusandi uxorem de adulterio iam commissum; & tale iuramentum est licitum,

& obligat; quia potest vir renunciare iuri suo, & opus misericordie est remittere propriam iniuriam; & spiritali necessitati uxoris satis subveniri potest per denunciationem canonicam. *Suar. c. l. n. 16. & 17. ubi n. 21. hanc opinionem. & expositionem sentiri esse probabilem.*

Verum, quia probabilius est, quod, sicut in prima questione generali sermo est de promissione iurata non accusandi uxorem de ullo crimine, utique committendo; ita etiam in secunda particulari questione, cum eodem modo, & sensu proponatur, & quasi à questione universalis ad particularem descendatur; ut notat *Suar. c. l. n. 19.* ideo ipse (omissa responsione Abbatis, quæ non videtur plenè satisfacere) alias duas responsiones dat. Et primò quidem n. 21. ait, quod verbum, *tutius in cit. §. Illud*; non significet obligationem: adeoque Pontificem ibi non dicere, virum, qui sic iuravit, obligari ex iuramento ad accusandum, sed supponere, posse non accusare, si velit, ac propterea dicere, tutius esse non accusare ad divortium instituendum; quia sic maior exhibetur reverentia iuramento: & simul remittitur iniuria privata: nec delinquendi occasio, vel licentia præbetur uxori, cum adhuc locus sit denunciationi Canonice ad correctionem ipsius: neque hæc subest morale pericula anima, seu peccati, cum probabilissimum sit, tale iuramentum, si præcedat delictum committendum, non obligare. Altera responsio etiam probabilis est, quam dat idem *Suar. c. l. n. 22. & Barb. in collect. in cit. §. Illud; n. 13.* videlicet, quod, etsi pactum, & iuramentum ei adiectum de non accusanda uxore propter adulterium committendum, si referatur ad accusationem criminalem, quæ tendit ad publicam vindictam criminis, non valeat; quia lædit ius publicum, & repugnat communi bono: si tamen referatur, & restringatur ad privatam, civilem accusationem, quæ fit ad separationem tori, & cohabitationis, validum est; qui est casus proprius *cit. §. Illud*; quia tunc ius publicum non læditur; cum accusatio ad publicam vindictam salva maneat, neque etiam peccandi occasio detur uxori, cum maritus, qui iuravit, se non accusaturum uxorem de adulterio civiliter ad divortium, nihilominus adhuc possit eam, præmissa privata monitione, eaque postea spreta, per canonicam denunciationem deferre Prælo Ecclesiastico ad emendationem, sive poenitentiam agenda, iuxta *cir. §. Illud*, quia iuramentum strictæ interpretationis esse debet, neque ultra verborum proprietatem, seu commune acceptatione extendendum: denunciare autem, proprie loquendo, non est accusare: adeoque, qui iuravit, se non accusaturum, non prohibetur vi iuramenti denunciare. Supponit autem hæc expositio, iuramentum illud ab initio non fuisse illicitum, nec temerarium, sed validum, & obligatorium, observandum; idcirco, etsi Papa in priori questione dixerit generale illud iuramentum esse temerarium, nihil tamen tale dixit de particulari iuramento posteriore. *Suar. c. l.*

XLVIII. Ceterum de alio iuramento ab uno contrahentibus edito, ad probandum matrimonium cum altero contractum, agitur in *c. Mulieris; 34. b. t.* ubi habetur, quod mulier quædam petebat virum, asserens, præstito iuramento in iudicio, quod secum per verba de presentibus matrimonium contraxisset: sed, quia viro id negante, alias probationes non habebat, is ab eius impetitione per sententiam absolutus fuit (quia actore non plenè probante, Reus absolvi debet. *c. Cum Ecclesia; 3. in fine de caus. poss. & propriet. l. Qui accusare; 4. C. de edendo gl. hic V. Absolvo*) Consultus super hoc Pontifex Greg. IX. respondit, quod Iudex non debet licentiam dare mulieri

cum alio matrimonium contrahendi, ne ipse actor periurij videatur: neque tamen nubere nolumus prohibere debet, ne, si forte falsum iuravit, matrimonium legitimum impediatur, sed ea sua conscientia potius relinqui debet. Ratio est; quia, cum nesciatur, nec ostendi de ea possit, verene, an falso iuravit, ipsa verò mulier sciat, an matrimonium cum alio viro legitime contrahere possit, necne; ideo conscientia ipsius determinandum id relinquitur: nam, si verum est, quod iuravit, nempe, quod vir ille cum ipsa verè contraxerit matrimonium, tum non potest coram DEO postea validè contrahere aliud matrimonium; quia ageret contra proprium iuramentum, et sicque periura violando illud, & posterius matrimonium esse irritum, ac sacrilegum; sed hoc casu Iudex ipsi potius suaderè debet, ut abstinet à secundis nuptiis. Si verò falsum sit, quod iuravit; quia mulier matrimonium cum viro non contraxit; tunc periura quidem erit, sed nihilominus tamen potest contrahere aliud matrimonium: idèoque Iudex non debet prohibere ipsam nubere volentem, ne matrimonium legitimum ab eo impediatur: periurium enim non est impedimentum matrimonij contrahendi. *Gl. hic V. Periurij, & Abb. n. 2.*

XLIX. Hinc colligitur primò. Quando agitur de dubio peccato, tunc cuiusque conscientia id relinquendum est, an peccarit, necne. *Abb. hic. n. 4. not. nit.* Colligitur secundò. Per confessionem Actoris in Iudicio non debet sententia contra Reum ferri: imò, non obstante confessione eius, quamvis iurata, si probata non sit, sententia ferri debet contra Actorem pro Reo, prout factum est in casu huius c. ubi contra mulierem actricem lata est sententia, & vir conventus fuit absolutus; quia mulier defecit in probatione, quod matrimonium cum viro contraxerit. Neque verò in casu huius c. iuramentum fuit delatum mulieri, in supplementum probationis, sed fortè ad veritatem dicendam, exegit illud Iudex: & confessio regulariter non pro confidente, sed contra illum probat. *Abb. hic n. 5.*

§. VI.

De Iuramentis licitis, qua observari debent, & obligant, donec relaxentur, & iurans ab iis absolvatur.

L. Assertio 1. Alia regula generalis est, quod omne iuramentum observandum sit, quod non vergit in interitum, seu dispendium salutis æternæ, nec observatum redundat in alterius præiudicium, seu detrimentum; prout habetur in c. Si verò; 8. & cap. Cum contingat; 28. h. t. & in c. Quamvis; 2. de pact. in 6. adeoque quod licitum est, & sine peccato observari potest. Et hinc, qui non ex necessitate, sive ob impedimentum necessarium, sed liberà voluntate iuramentum licitum non observat, seu implet, Reus periurij censetur; ut constat ex cap. Querelam; 10. h. t. Nam Guilielmus Clericus R. Canonico Linconien- si interposito iuramento, promisit, se ipsi, nomine Ecclesiæ de Statèra, annuatim soluturum duos Biantios, sed is ab huiusmodi pensionis solutione per biennium cessavit. Super hoc querela delata est ad Papam Alexandrum III. qui respondit: cum non mereantur Ecclesias regere, qui sunt Rei cri-

minis periurij, ideo, si confiterit Iudicibus à se delegatis, ipsum VVilhelmum, non necessitare, sed voluntate solutionem annuæ pensionis omisisse, eundem ab Ecclesia illa removeant, eamque dicto R. Canonico restituant.

LI. Pro explicatione huius c. Notandum primò. Videtur, quod hæc Ecclesia parochialis pertinuerit ad Canonicum R. tanquam Rectore principale, cuius præbendæ illa annexa erat, ad sustentationem illius, & cui VVilhelmus, tanquam Vicarius perpetuus, & intitulatus, ad quem spectabat actualis cura, & administratio eiusdem Parochiæ, quot annis pensionè solvere debebat, ex vi promissionis iurata ipsi factæ de illa solvenda, quâ cum contra iuramentum non solvisset per biennium, perit R. Canonicus, privari VVilhelmum titulo Vicariæ, & ab illa removeri, quippe qui crimine periurij sit irretitus. *Abb. hic n. 1. & 2.* Alij verò hoc c. ita intelligunt, quod VVilhelmus fuerit Vicarius solum temporalis, & conductor fructuum illius Ecclesiæ, ac præstiterit iuramentum, de solvenda pensionè annua. Sed id haud colligitur ex hoc c. quia tunc cecidisset omni jure locationis, non solvendo per biennium, nec opus fuisset adire Pontificem, sed R. Rectore principale Ecclesiæ ipsum ad libitum potuisset remove-re à Vicaria temporalis. *Abb. c. 4.*

Notandum secundò. Clerici convicti de periurio removendi sunt à suis beneficiis, sive per sententiã iis privandi, quamvis ipso jure non sint privati. c. Cum non ab homine; 10. de iudic. & colligitur ex hoc c. idq; quia periurij sunt infames secundum Canones. *Can. Infames; 17. caus. 6. q. 1. Gl. hic V. Periurij; & Abb. n. 3.* Porro in casu huius cap. R. Canonicus agebat contra Clericum VVilhelmum, non criminaliter, ut ob periurij deponeretur ab Ordine, & Officio, sed civiliter, ut removeretur à cura, & administratione Ecclesiæ, tū ob pensionem non solutam; tum quia, cum Ecclesia Parochialis pertineret ad Canonicum, quoad proprietatem, ejus intererat, ut periurus, & indignus Vicarius curam non detineret: idèoque, Papa mandat ipsi Ecclesiã restitui, si confiterit, ita esse, ut narratur. *Abb. hic n. 4. in fine.* Notandum tertio. Siquis, ob impedimentum necessarium, iuramentum promissorium non impleat, non censetur Reus periurij; quia necessitas excusat à reatu periurij, cum ea non sit subiecta legi. c. 2. de obser. jun. *Gl. hic V. Non necessitate.*

LII. Porro, etiam Episcopi, qui iuramentum suum, seu promissionem iurata transgressi sunt, tanquam periuri puniendi sunt: & quidè tantò gravius in eos adverti debet, quantò maiore in dignitate constituti, & alij exemplo eorum ad similia pertrahi possunt; prout ut Papa Urbanus III. referripit ad Archiepiscopum Pisanum in c. Cum quidam; 12. in princ. h. t. Ratio est; quia tantò maius est delictum hominis, quantò in sublimiore statu, ac dignitate, præsertim Ecclesiastica, est constitutus: idq; tum propter ingratitudinè, & abusum donorum, & gratiarum celestium, quibus tales homines cumulantur: tum propter malum exemplum, quo aliis nocent, eosque pervertunt. *Abb. hic in princ. not. 1.*

LIII. Ubi quoad penam notandum est, quod penam pecuniaria major imponi debeat, propter delicta, personis dignioribus, & Nobilibus, quam minus dignis, & plebeis. *Arg. l. Illicitas; 6. §. fin. ff. de Offic. præsid. ubi dicitur, quod propter inopiam multa remittenda sit: at verò penam corporalis minor infligi debet Nobilibus, & in dignitate positus, quam Ignobilibus, & ple-*

beijs. l. 2. C. Ut nemo privatus & c. ult. de penis. Gl. hic V. Dignitate; in fine. Neque verò hoc est uti personarum acceptione: nam pœna secundum se exigua, cum infamiâ, vel corporis molestiâ coniuncta, gravior reputatur, comparatione personæ dignioris; sicut etiam multa, seu pœna pecuniaria secundum se parva, magna reputatur, & gravis efficitur, si pauperi imponatur; ut notat Felin. hic n. 5.

LIV. Præterea huc pertinet, quod statutum habetur in cap. Cum in positionibus; 3. & ult. h. t. in 6. Nam, si quis ad Prælaturam electus, alio ad impediendam eius confirmationem, se opponente, post iuramentum (sive de calumnia, sive de veritate dicenda. Franc. hic n. 1.) in causa præstitum, positiones, aut responsiones manifestè contrarias, aut contradictorias afferat, censeri, ac declarari debet periurus; & ideo à confirmatione, & iure electionis suæ repellendus, eique super ipsa electione perpetuum silentium indicendum est, præterquam si iusta, & rationabilis causa eum excuset. Sed, & idem dicendum, si Procurator electi, eo expressè mandante, vel postea sciente, ac ratum habente, vel non revocante, tales contrarias positiones, aut responsiones eiusdem nomine fecerit.

LV. Ratio prioris partis est; quia, qui positiones producit, censetur eas confiteri. cap. 2. de confess. in 6. qui autem duo inter se directè contraria confitetur, ex quibus necessariò alterum est falsum, cum simul utrumque verum esse non possit, necessariò mentitur; & consequenter peierat, si iuratus falsum dicat; & quia, cum periurus deponi possit à beneficio, vel Prælatura, in qua jam institutus fuit, c. Querelam; 10. & c. Tua autem; 11. h. t. multò magis repelli poterit electus, priusquam confirmatus, vel institutus est. Arg. cap. Quemadmodum; 25. h. t. ideòque tanquam periurus à confirmatione, & iure electionis suæ repellendus. Excipi debet, nisi iusta, & rationabilis causa eum excuset à periurio, cuiusmodi est, si unum ex contrariis possit multipliciter intelligi: vel si incontinenti errorem suum corrigat, cum & testis in tali casu à periurio excusetur: vel si etiam per intervallum alleget, ac probet iustam causam sui erroris; ut, quia positio, vel responsio facta sit de facto alieno, in quo probabilis est error. Gl. hic V. Iusta causa. Ratio posterioris partis est; quia, quod quis per alium facit, perinde est, ac si faciat per se ipsum, iuxta Reg. Iur. 72. in 6. & qui delictum suo nomine patratum ratum habet, Juris fictione quodammodo mandasse censetur, cum non sit dubium, ratihabitionem mandato comparari. Reg. Iur. 72. in 6. ideo, si Procurator ponat, vel respondeat contraria, ex mandato Domini, vel cum ratihabitione illius, vel si, postquam scit, talia gesta esse à Procuratore suo, ea non revocet (hoc ipso enim quòd scit, censetur tacitè consentire, & ratificare, si non revocet) talis electus à confirmatione repellendus est, perinde, ac si per se ipsum ista commisisset: requiritur autem, ut electus expressum, seu speciale mandatam dederit Procuratori suo ponendi, vel respondendi contraria; nec sufficit generale mandatam; alioquin electus non habebitur pro periuro. Gl. hic V. Expressè.

Porrò, dispositio huius c. habet locum, quando positiones, vel responsiones contrariæ fiunt, post præstitum iuramentum calumniæ, vel de veritate dicenda.

cap. 1. de juram. calum. in 6. secus, si fiant ante iuramentum: tunc enim non habet locum, quòd hic dicitur de periurio; ut colligitur ex hoc c. à contrariis sensu. Franc. hic n. 1.

LVI. Assertio 2. Juramenta quædam sunt, ut ex communi tradit Abb. in c. ult. n. 2. de pactis. quæ turpitudinem, & peccatum continent, ex parte utriusque, tam præstitum iuramentum, quam ex parte recipientis illud, vel etiam ex parte iurantis tantum; & hæc non obligant; quia non est obligatorum contra bonos mores præstitum iuramentum. Reg. Iur. 58. in 6. neque iuramentum potest esse vinculum iniquitatis. cap. Quanto; 18. h. t. & patet ex supra dictis. Alia verò sunt iuramenta, quæ turpitudinem continent, ac peccatum, non ex parte iurantis, sed ex parte solum recipientis iuramentum; & hæc obligant quidem, & observanda sunt, sed revocabilitate, quia ea obligatio, obtentâ absolutione à iuramento, tollitur; de quibus in specie agemus in seqq.

§. VII.

An, & quâ ratione obliget iuramentum de solvendis usuris, vel solutis non repetendis?

LVII. Assertio 1. Debitores, qui promiserunt, seque obligaverunt ad solvendas usuras suis creditoribus, non quidem tenentur eas solvere, nec ad id cogi debent: si tamen iuraverint, se illas soluros, cogendi sunt Domino reddere iuramentum (sive est, ex reverentia Numinis, sive ob iuramentum DEO præstitum, obligantur ad solvendum) solutas tamen usuras creditores restituere debent, & ad id, si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam sunt compellendi. Ita statuit Papa Alexander III. in c. Debitores; 6. h. t. Hæc Constitutio tria dicit, sive tres partes continet: Primò, quòd debitor, qui usuras promissit, non obligetur ad solvendum illas, si scilicet pacti; quia, cum promissio, aut contractus usurarius ipso iure naturali, ac Divino sit iniustus, & irritus, & iustitia commutativa non permittat, ut debitor, seu mutuarius plus reddere cogatur, quam acceptum a creditore, vel mutuante; ut ex communi docet Legum lib. 3. tract. 4. c. 16. n. 6. sequitur, quòd per tale pactum, vel contractum usurarum nullum jus, nec obligatio, nec naturalis quidem acquiritur paciscenti de usuris sibi solvendis. c. Cum tu; 5. c. Tua; 9. de usuris. adeòque non obligatur debitor ex iustitia ad solvendum illas, neque ad id compelli debet.

LVIII. Dicitur secundò in hoc c. quòd iuramentum de solvendis usuris nihilominus observandum sit, videlicet non ex obligatione iustitiæ erga hominè, in cuius utilitatè præstitum est; sed ex virtute Religionis erga DEUM, ut, quòd iuratum est, re ipsa verè efficiatur, & impleatur, ne nomen DEI in testimonium falsi adductum fuerit; ut docet S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. nam iuramentum homini præstitum servari debet, quotiescunq; sine dispendio salutis æternæ, adeòque sine peccato (intellige ex parte iurantis) servari potest. c. Quamvis; 2. de pact. in 6. at debitor, qui solvit usuras promissas creditoribus, non peccat; quia licitè ab eo, qui parat est usuras exercere, ob causâ necessitatis, mutuatur sub usuris accipit, & sine peccato solvit; ut docet S. Th. 1. 2.

2. 2. 9. 78. art. 4. in corp. Ubi ait: ex juramento facto homini duplex obligatio potest oriri: una homini, ratione promissionis ipsi factæ, & ut sic juramentum per iniuriam extortum non obligat: altera verò DEO in testem adducto; & ut sic obligat jurantem, DEUM reddere testem veracem, implendo promissionem: ergo vi huius juramenti, quod ex parte solventis nullum peccatum continet, obligatur debitor ad solvendas usuras, ob reverentiam Divini Numinis in testimonium adducti; ut docet *Abb. in c. 1. num. 3. h. i. Laym. l. 4. tract. 3. c. 7. n. 1.*

Quin imò probabile est, quòd, etsi mutuarius promittendo sub juramento usuras, peccaverit; vel quia sine ulla necessitate, aut utilitate promisit; vel quia alterum non paratum ad mutuandum promissione usurarum ad id induxit: nihilominus tamen adhuc ex juramento obligatus est ad solvendas usuras; tum quia textus in *cit. cap. Debitores*, generaliter, & indistinctè loquitur, debitores esse cogendos ad solvendas usuras, sive illas paratis, sive non paratis, ad mutuandum promiserint, si de ipsarum solutione juraverint; tum quia, licet promissio, & juramentum illicitum fuerit, non tamen fuit de re illicita, sed quæ sine peccato impleri potest, usurarum nimirum solutio: nam usurarius, etsi antea paratus non fuit ad mutuandum sub usuris, est tamen postea paratus ad recipiendum usuras: aliàs non reciperet illas, sed remitteret juramentum: & adsunt iustæ causæ solvendi usuras, nempe, ut appareat, quantopere debitor suorum promissorum fidem servet: æque solutio ipsi creditori, seu usurario est utilis; quia saltem possessio pecunie per illam in eum transfertur: ac proinde talis solutio, quippe ex iustis causis facta, non censetur cooperatio ad peccatum recipientis usuras, sed solum permissio illius peccati, ex iusta causa. *Imola in cit. c. Debitores, n. ult. in fine. h. t. Felin. ibid. n. 7. Suar. lib. 2. de juram. c. 9. n. 7. & 8. Sanch. lib. 3. moral. c. 11. n. 3. & 5. Laym. cit. cap. 7. num. 1. Castro Palao part. 3. tract. 14. dis. 2. punct. 3. n. 4.*

Dicitur tertio in *cit. c. Debitores*, quòd, postquam debitor usuras sub juramento promissas solvit, creditor eas restituere debeat, & ad eas restituendas per censuram Ecclesiasticam compellendus sit: nam, cum recipienti usuras nullum jus, nec dominium earum sit acquisitum, quippe quas sine justo titulo accepit, & per injuriam extorsit; ideo ad eas restituendas in foro interno, & externo obligatur, & consequenter etiam per censuras, & pœnas ad id cogi potest.

LIX. Atque hinc inferitur primò. Quòd debitor, solutis usuris sub juramento promissis, potest illas mox absque alia juramenti relaxatione, iterum repetere ab usurario, per conditionem sine causa, ob quam usurae maneat penes accipientem, qui injustè eas accepit, ac detinet: nam juramentum illud tantum factum fuit de solvendis usuris, cui per solutionem est satisfactum: non autem obligat ad usuras solutas non repetendas, cum hoc in juramento illo non sit expressum; adeòque ad id extendi non debet: juramentum enim promissorium, præsertim si iniquè extortum sit, seu ex parte promissarii turpitudinem, vel peccatum contineat, strictà interpretationem meretur, ita, ut non plùs obligare cœseat, quam secundum strictà verborum significationem promissum

Turner II.

fuit, ut constat ex *c. Ad audientiam; 4. de his, quæ vi & ubi dicitur*, quòd gravi metu coactus ad resignandam Ecclesiam Parochialem sub juramento, eo non obstante, possit illam repetere, eique illam restituendam esse; quippe cum vigore illius juramenti, obligatus tantum fuerit ad resignandum; non verò etiam ad non repetendum. *Gl. ibid. v. Repetendum. Covarr. in c. Quamvis; 2. de pactis. in 6. p. 2. §. 3. n. 2. Suar. cit. c. 9. n. 16. Sanch. cit. cap. 11. n. 9.* Idemque dicendum, si quis latroni, ob mortis metum, juravit pecunias daturum: datas enim repetere potest, ob rationem jam allatam. *Sanch. c. l. n. 16.*

LX. Inferitur secundò. Creditor, cui usurae sub juramento promissæ sunt, ex iustitia obligatur ad remissionem juramenti; quia, cum constet ipsam contra iustitiam peccare, si usuras promissas recipiat; ideo ex iustitia obligatur, eas non recipere, & ut liberet promittentem obligatione suâ: factâ autem eâ remissione, etiam coram DEO liberatus est debitor ab obligatione juramenti, non quòd per juramentum aliqua obligatio acquisita sit creditori usurario, quam remittat; sed quia DEUS juramentum promissorium in favorem hominis factum non acceptat, nisi quia homo illud acceptat: nam hoc juramentum hanc tacitam conditionem includit: si promissario gratum fuerit, sive: nisi is remiserit, in cuius utilitatem factum est: unde remittente illud homine, etiam DEUS remittit, & cessat ejus obligatio. *Covarr. cit. loc. §. 3. n. 2. vers. primum. Suar. c. l. n. 6. in fine. Less. lib. 2. de justit. c. 17. n. 53. Sanch. c. l. n. 8.* Quare neque secundariò acquiritur usurario ex tali promissione jurata obligatio aliqua; ut colligitur ex *cit. c. Debitores; h. t.* ubi dicitur, cogendum usurarium reddere DEO juramentum, quasi ipsi soli sit acquisita obligatio ex juramento; quia, sicut ex promissione simplici de solvendis usuris nullum jus acquiritur usurario; quia est turpis, & illicita ex parte recipientis; ita neque ex juramento. *Covarr. c. l. Sanch. c. l. n. 8. contra Abb. in c. 1. n. 1. h. t.* qui putat, saltem secundariam aliquam obligationem acquiri recipienti juramentum, quod tamen non congruit textui in *cit. c. Debitores*; in quo de solo DEO fit mentio.

LXI. Porro, si creditor in tali casu juramentum debitori remittere nolit, à Judice Ecclesiastico cogi potest ad relaxandum illud per censuras Ecclesiasticas; ut constat ex *c. Ex administrationis; t. h. t.* Ubi Papa Gregorius III. (vel ut in quibusdâ vetustissimis codicibus legitur) Gregorius IX. mandat, ut creditores ad juramenta super usuris sibi solvendis præstita relaxanda per Ecclesiasticam distinctionem nem (id est, suspensionem, vel excommunicationem), vel interdictum. *Gl. hic v. Distinctione; junct. Gl. margin.* cogantur (scilicet ab Episcopis tanquam delegatis, auctoritate huius Canonis, vel potius tanquam ab Ordinarijs locorum jure, ac potestate ordinariâ. *Glos. hic v. Cogatis; & Abb. hic in fine.*) putat tamen idem *hic n. 14.* per distinctionem Ecclesiasticam hoc loco magis congruè intelligi pœnam temporalem, quàm spirituales, qualis est censura; sed prius est verius. Ex quo patet, quòd, si creditor usurarius nolit remittere juramentum sibi præstitum à debitore de solvendis usuris; possit is, qui juravit, petere à Judice Ecclesiastico, ut

Kkk a

com=

compellat eum ad hoc iuramentum, eiusque obligationem remittendam: nam Jusiurandum potest remitti ab eo, in cuius utilitatem praestitum fuit. *Covarr. lib. 1. var. resol. cap. 4. num. 5. §. Prima quidem. Barb. in collect. in cit. cap. 1. num. 2. h. t.* Imò etiam Iudex secularis remittere id potest, ut infra dicitur; & tunc factum Iudicis supplet factum partis.

LXII. Atque hinc jam colligitur, debitori, qui simpliciter iuravit, usurasolvere, plura remedia competere; ut notat *Abb. in cit. cap. 1. n. 6. §. 7. h. t.*

Primò. Ut solvat usuras, & sic impleat iuramentum, & postea has repetat, juxta *cit. cap. Debitorum; hoc iit.* Secundò. Ut petat, creditorem compelli ad relaxandum iuramentum, juxta *cit. c. 1. h. t.* Hæc autem compulsio fieri debet, & peti, ante finitum terminum solutioni præfixum: eo enim elapso, incidet in periurium: nec debet priùs audiri, quàm solverit, quia aliàs interim persisteret in peccato periurij.

Tertiò. Ut petat absolutionem, sive relaxationem iuramenti ab Episcopo, etiam invito creditore usurario: estque hoc remedium non subsidiarium, sed æquè principale, ac prius: ideòq; isto etiam omisso, adhiberi potest; modò petitio absolutionis, & ipsa absolutio fiat ante elapsum terminum, in quo, & post quem debitor fieret periurus; ut paulò ante dictum. Quartò. Ut debitor conventus excipiat, quòd non debeat cogi ad observandum iuramentum, cum ipse creditor teneatur, propter turpitudinem suã, & iniuriam illatam, illud remittere: idque saltem procedit, si excipiat, & de iniustitia usurarij liqueat, antequam debitor sit in mora solvendi. Quintò deniq; ut Iudex, etiam non requisitus, ex officio suo compellat creditorem desistere ab exactioe usurarum; idq; procedit, quando jurans non constituitur in mora solvendi, sine interpellatione creditorum; adeòque ante elapsum terminum constitutum ad implendum iuramentum, quia aliàs dies interpellat pro homine.

LXIII. Sed contra hætenus dicta objici potest Primò. Si debitor, qui usuras solvit, potest illas repetere tanquam indebitè solutas, sequitur, quòd non teneatur solvere promissas: quid enim opus estolvere, si deinde statim repeti possint, ac restitui debeant? & facit huc regula illa juris: *Cui damus actionem, eadem exceptionem competere, multò magis quis dixerit. l. Inventus; 156. §. 1. ff. de R. I.* Sed juranti datur actio ad repetendas usuras, quas solvit: ergo multò magis dabitur exceptio, ad usuras non solvendas. Item, qui indebitum scienter solvit, non repetit; quia donare videtur, juxta *Reg. Jur. 53. in ff. cuius per errorem dati repetitio est, eius consultò dati donatio est; sed debitor solvit creditori usuras, quas scit, se non debere: ergo debitor usuras iuramento promissas non teneaturolvere ex lege iustitiæ: obligatur tamenolvere, ratione iuramenti, ex virtute Religionis erga DEUM, ut indicat *Gl. in cit. c. Debitorum. §. Cogendi sunt.* Itaq; in præfenti casu iuramentum obstat, per quòd DEO obligatio est acquisita, quò minus debitori, nec actio datur contra usurarium, nisi priùs usuras solvat, nec exceptio: at postquam per solutionem satisfactum est DEO, datur debitori actio ad repetendas usuras solutas, & tunc etiam exceptio ei datur contra quemlibet impediendam repetitionem illarum. *Castro Palao cit. punct. 3. num. 10. in 2. object.* Deinde, qui*

scienter solvit indebitum, non repetit; quia donare videtur, id intelligendum est, si omnino liberaliter tradat rem, quam solvit: secus, si solvat, quòd per injuriam est extortum; ut in proposito, debitor solvit usuras; quia cogitur illasolvere ob iuramentum, quòd usurarius ab illo extorsit; & ideo non censetur, illas donare. *Palao c. l.*

Similiter, etsi aliàs dolo petat, qui statim restituere debet, quòd petit; ideòque per exceptionem doli repelli possit, *l. Doli; 7. ff. de doli except.* *Reg. Jur. 56. in 6.* unde etiam usurarius, qui petit pecuniam, quam statim acceptam restituere debet, dolo malo petit; adeòque etiam repelli per exceptionem doli possit, spectato præcisè jure, & actione, quam habet ad petendum: nisi obitarer extrinseca circumstantia, videlicet Religio iuramenti ex parte debitoris. *Pal. c. l.*

Denique non obstat, quòd dicitur in *l. Qui sit; 15. ff. de solution.* Qui sic solvit, ut recipiat, non liberatur, quemadmodum non alienantur nummi, qui sic dantur; ut recipiantur. Id enim intelligi debet primò, si solvatur, eo pacto, & conditione inter partes inità, ut statim, postquam solutum est, repetatur: tunc enim in effectu perinde est, ac si solutum non fuisset. Vel secundò intelligi debet, si is, cui fit solutio pecuniæ, eam non teneatur restituere, sed retinere possit: at creditor usurarius debet pecuniam sibi solutam restituere. *Sanch. cit. cap. 11. num. 12. in fine.* Vel tertiò loquitur lex illa de pecuniæ ei debita, cui solvitur, non de pecuniæ, quæ solùm solvenda est; quia debita est DEO, quomodo pecuniæ ex mutuo promissæ usurario, debet solvi, non quòd sit debita usurario, cui nullum jus, nec actio est acquisita ad petendam illam; sed quia est debita DEO, ex vi iuramenti. *Pal. c. l. n. 7.*

LXIV. Objicitur secundò. Simplex promissio usurarum non obligat promittentem ad solvendum, quia est nulla, & irrita: ergo neque iuramentum tanquam accessorium obligabit; hoc enim sequitur naturam principalis. *Reg. Jur. 40. in 6.* cum ergo principale; videlicet promissio usurarum sit irrita; consequenter etiam ipsum iuramentum, quòd ei adicitur, est irritum. Responderi primis *Abb. in cit. c. Debitorum; n. 2.* in hoc casu accessorium non sequi principale, quia diversa est ratio inter utrumque: nam per promissionem usurarum, quæ est velut principale; acquiritur obligatio homini, scilicet promissario, quæ hinc non subsistit, propter prohibitionem legis irritantis talem promissionem, ob turpitudinem, & iniustitiam ex parte promissarij: at verò per iuramentum acquiritur obligatio DEO, quòd servandum est, ob reverentiam Divini Numinis. Deinde respondetur, quòd in hoc casu non datur principalis obligatio orta ex promissione, cui iuramentum accedat: neque enim hoc apponitur ad confirmandam promissionem, sed iuramentum est hinc principale, & per se stans, obligans jurantem, ut, quòd iuravit, verum efficiat, ac impleat, ne DEUS in testimonium falsitatis sit adductus. *Covarr. in c. Quamvis; p. 2. §. 3. n. 2. versic. tertio. hinc tollitur. Sanch. cit. cap. 11. n. 12.*

LXV. Objicitur tertiò. Nulla est differentia inter simplicem loquelam, seu promissionem, & iuramentum quoad DEUM. *c. Iuramenti; 14. cap. 22. §. 1.* Ergo, si simplex promissio usurarum non obli-

gat; neque juramentum, sive iurata promissio. Respō.
Inter simplicem promissionem, & iuratam, nulla est
differentia, quoad obligationem non mentendi;
quia tam ex vi promissionis simplicis, quam vi iuramenti obligatur quis ad hoc, ut verè intentionem
habuerit exequendi rem promissam, vel iuratam: ta-
men gravius peccat, qui violat promissionem iurata-
tam, quam qui simplicem *Abb. in cit. c. Debitores; n. 3.*

LXVI. Assertio secunda. Juramentum de-
bitoris de non repetendis usuris iam solutis obligat;
nec potest jurans eas repetere, nisi prius obtentā
hujus iuramenti relaxatione; ut colligitur à contra-
rio sensu ex c. *Ad audientiam; 4. de vi met. caus. ibi:*
Quo iuramento non ad repetendum, sed solummodo ad re-
signandum tenebatur: ergo secus, si jurasset non repe-
tere: tum enim non posset repetere, obstante iuramen-
to. *Gl. ibid. V. Resignandum;* & ratio est; quia tale
juramentum potest licitè, & sine peccato servari, ac
proinde obligat. *Covarr. c. l. Suar. c. l. n. 17. Sanch. c.*
l. n. 9. & dictum supr. l. 1. tit. 40. n. 18.

LXVII. Excipi debet: nisi nova repetendi
causa postea superveniat; tunc enim juramentum
non repetendi usuras solutas cessat obligare; prout
sumitur ex c. *Ad nostram; 20. h. 1.* Nam qui-
dam cives Pisani alicui usuras solverunt, iuramen-
to confirmantes, quòd nec per se, nec per alium
eas repetere vellent, nec apud Judicem Ecclesiasti-
cum, neque etiam secularem, super iis querelam
proponere. Sed creditor usurarius testamentum
condidit, in quo heredes suos obligavit, ut omni-
bus, qui probarent, se solvisse usuras eidem, illas
ipsis restituerent: cum autem illi, qui usuras sol-
verant, ob præstitum juramentum, usuras repe-
tere non auderent, etiam heredes usurarii illas resti-
tuere intermiserunt. Hoc cognito, mandat Papa
Innocentius III. Archiepiscopo Pisano, ut sub
pœna Excommunicationis publicè in Ecclesia pro-
mulget, aut promulgari faciat, ut, qui huius rei
notitiam haberent, ad ferendum testimonium pro-
cedant: & si ex testimoniiis, aliisque documentis
constiterit, ita actum esse, uti dictum fuit, heredes
per censuram Ecclesiasticam ad usuras, quas pater
eorum recepit, restituendas iis, à quibus acceptæ
fuerunt, compellat. Ratio est; quia juramen-
tum, quo aliquis suo juri renunciat, cum stricta in-
terpretationis esse oporteat, juxta *l. Quidquid; 99.*
ff. De V. O. intelligi debet de jure tunc exorto, sive
secundum rei statum, & causam tunc existentem;
non autem de jure postea exorturo, sive si nova causa
superveniat. *Arg. c. veniens; 16. & e. Quemadmo-*
dum; 25. h. 1. idque sumitur ex cap. 2. de renunc.
ex quo constat, quòd is, qui, quamvis juratus benefi-
cium renunciavit, nihilominus illud potest petere, &
obtinere, si post juramentum denuo ad illud eliga-
tur, vel in eo instituat: adeoque nova causa super-
veniat petendi, & obtinendi beneficium. Sic quo-
que in casu huius c. nova repetendi usuras solutas
causa orta fuit, propter mandatum defuncti, quo in
testamento heredes suos obligavit ad usuras illas re-
stituendas iis, qui illas solverunt: & consequenter
remisit etiam illis juramentum de non repetendis
usuris. Neque obstat, quòd in casu huius c. debito-
res, propter timorem, & reverentiam iuramenti, re-
petere usuras solutas intermiserunt; quia hæc causa

id timebant; ut notat *Abb. hic n. 11.* Nam bona-
rum mentium est ibi culpam timere, ubi culpa non
est. *c. Ad ejus; 4. in fin. dis. 5.* Simili ratione, si quis
pacem cum inimico juratus inivit, non obligatur ju-
ramento, postquam nova illum offendendi causa su-
pervenit, ut si alter iterum injuriam ipsi intulit. *Abb.*
in cit. c. 2. n. 10. de renunc. quia juramentum non de-
bet extendi ad futura, quæ plerumque incognita
sunt; ideòque non censentur comprehensa sub in-
tentione jurantis.

LXVIII. Notandum hæc præterea primò.
Debitor, non obstante juramento de non repetendis
usuris in Judicio, denuntiare potest usurarium apud
Judicem Ecclesiasticum, denuntiatione Evangelicâ,
seu charitativâ, ob delictum, seu injustitiam com-
missam, quia illud juramentum non fuit de non de-
nunciando, sed de non accusando: quòd si juravit, se
non denunciaturum, tale juramentum non obligat,
quippe de re illicita, & iniqua, cum quilibet ad hoc
teneatur; ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. Gl.*
in cit. c. Ad nostram; V. Repetent. Suar. cit. c. 9. n. 18.
Sanch. cit. c. 11. n. 9. est enim contra charitatem re-
linquere proximum in statu peccati. Addit *Suar. c.*
l. n. 20. Neque juramentum de non petenda rela-
xatione prioris iuramenti, non repetendi usuras solu-
tas, obligare; si quidem melius sit, & Reipubl. vel sa-
luti privatorum utilius, eam peti.

Notandum secundò. Potest Judex ex officio,
etiam parte non petente, inquirere, & procedere con-
tra usurarium, ut restituat usuras; etiam si, qui usuras
solvit, juravit, se illas non repetiturum, quando nim-
mirum agitur de periculo animæ; ut, quia usurarius,
vel eius heres injustus detentor usurarum à peccato
liberari non potest, nisi usuras restituat. *Abb. in cit.*
c. Ad nostram; n. 3. & 4. Imol. ibid. n. 9. Barbof. in col-
lect. ibid. n. 3. Nam, licet aliàs Judex officium suum
impertiri non debeat, nisi pars petat; excipi tamen
debet, nisi ipsa petere impedita sit; tunc enim æqui-
tas postulat, ut Judex ex officio suo succurrat parti et-
iam non petenti; ut docet *Bart. in l. 1. n. 7. ff. Quod*
clam; *Alex. de Nevo in cit. c. Ad nostram; n. 20. &*
21. Arg. l. Planè; 38. ff. De petit. hered. Quamvis in
casu cit. c. *Ad nostram;* debitores, absolute loquen-
do, agere potuissent; tamen ob juramentum præsti-
tum id non audebant attentare, sed religioni sibi du-
cebant, & sic quodammodo impediti fuerunt: quare
æquum fuit, ut Judex eis ex officio succurreret, sicut
subvenite solet miserabilibus personis, quæ non pos-
sunt se juvare. *Alex. de Nevo ibid. n. 26. & sumitur ex*
c. 1. & seqq. dis. 37.

Notandum tertio. Episcopus, vel alius Judex
Ecclesiasticus, potest edictum generale promulgare
sub censurâ v. g. excommunicationis, ut omnes, qui
crimen, vel rem gestam cognitam habent, illud de-
nuncient, vel de re in Judicio deponant; prout factum
est in casu cit. c. *Ad nostram;* & notat *ibid. Abb. n. 2.*
Imò hoc casu ipsimet etiam debitores, qui juraverunt,
se non repetituros usuras, possunt, hoc juramento
non obstante, comparere ad denunciandum, vel tes-
timonium ferendum; tum quia in eo juramento cen-
setur exceptum jus, & auctoritas Superioris, ac pro-
inde, eo non obstante, parere possunt, ac debent gene-
rali edicto, seu præcepto Episcopi; tum quia iura-
mentum editum de non edicenda, sive manifestanda
K k k 3 veritate,

veritate, etiam si Superior inquirat ex officio, in ordine ad impediendum peccatum, est illicitum, & irritum. *Arg. c. Quinquis*; 80. *caus. 11. q. 3. Abb. c. l. n. 12.* ubi tamen addit, quod debitores, qui solverunt usuras, testando non fecerunt plenam probationem, sed solum aliqualem fidem, cum agatur de eorum commodo, nimirum de restituendis usuris.

§. VIII.

An iuramentum vi, ac metu extortum, vel dolo, aut errore praestitum obliget, ac servandum sit?

LXIX. Assertio prima. Iuramentum gravi, & injusto metu extortum validum est, ac obligat, si absque peccato iurantis impleri possit, nisi, vel ab eo, cui praestitum est, remittatur, vel à legitimo Superiore relaxetur; ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. & q. 98. a. 3. ad 1. Suar. cit. c. 9. n. 3. Sanch. cit. c. 11. n. 15.* & est communior DD. sententia. Idque probatur primò, ex *c. Si verò*; 8. *h. t.* ubi quaesitum fuit: si quis gravi metu incusso compulsi Clericum ad resignandum sibi beneficium suum, interposito iuramento; uter eorum beneficium habere debeat? an neuter? Respondit Alexander III. non esse ritum, ut quis agat contra iuramentum suum, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae (id est, sine peccato servari non possit) sed & Pontificem vereri aliquid agere, quo occasione alteri praestet iuramentum violandi, ne perjurii auctor ipse videatur. Nihilominus tamen ab Antecessoribus suis frequenter Clericis, qui per gravem metum beneficiis suis renunciaverunt, datam esse absolutionem, & id ipsis concessum, ut in resignatis beneficiis deinceps ministrarent, ut hac ratione iniquitas eorum coercedatur, qui viros Ecclesiasticos ad renunciandum Ecclesiis, ac beneficiis suis compellere audent.

Ratio prioris partis, quod iuramentum gravi, & injusto metu extortum sit validum, & obliget, est; quia renunciaciones, sicut, & contractus, aliaque pacta ipso jure sunt valida, etiam ex gravi metu facta; nam metus, etiam injustè incussus, absolute loquendo, non tollit voluntarium, seu liberum consentium; coacta enim voluntas est voluntas; ut constat ex *l. Si mulier*; 21. §. *Metu*; ibi: *Coactus voluit*. ff. *Quod met. caus.* sed tantum secundum quid admiscet involuntarium conditionatum; siquidem, qui ex metu agit, id nolle agere, si metus abesset, simpliciter tamen vult, & consentit; ut docet *S. Thom. 1. 2. q. 6. a. 6.* sicut ergo validus est actus ex metu gravi initus, ita & iuramentum ei appositum valet, & obligat, juxta regulam hinc traditam, quod omne iuramentum promissorium, quod non vergit in interitum, seu dispendium salutis aeternae, adeoque sine peccato servari potest, est servandum.

Ratio posterioris partis est; quia aequum non est, ut metum injustum incutiens ex sua iniquitate commodum ferat; ideòque, qui vim injustam passus

est; & metu compulsus ad resignandum beneficium petere potest, ut à iuramento per Ecclesiasticam potestatem absolvarur, & postea per actionem *Quod metus causà*, quidquid gravi ex metu actum est, restituatur, perinde, ac si nihil actum fuisset; vel ex officio Judicis metum passus in integrum restituatur; ut constat ex *c. 2. & c. Ad audientiam*; 4. de iis, qui vi, metusve causà &c. *& ex l. 1. & 3. ff. eodem. Gl. hic V. Iuramentum proprium*; & dictum supra l. 1. tit. 40. §. 3.

LXX. Notandum hic praeterea primò. Clericus gravi, & injusto metu coactus resignare beneficium suum, addito iuramento, servare illud debet, ita tamen, ut absolutionem à iuramento petere possit, etiam si jurarit, se non repetiturum beneficium resignatum; ut tradit *Gl. hic V. Juramenti*.

Notandum secundò. Non tantum iuramentum, quod vergit in dispendium salutis aeternae, sive salutis spiritualis animae, non obligat, sed etiam, quod cedit in dispendium propriae salutis temporalis, sive corporalis; ut tradit *Gl. in cit. c. Si verò*; *V. Salutis aeternae h. t. Abb. ibid. n. 2.* quia, sicut iuramentum non valet tendens in mortem alterius, ita multo magis valere non debet, nec obligat, si tendat in mortem propriam. *Arg. c. Non licet*; 9. *caus. 23. q. 5.* neque enim verisimile est, quod DEUS acceptet tale iuramentum, per quod creatura sua, quam tantà curâ condidit, incurrat mortem corporalem. Ex quo infert *Abb. hic*, si periti Medici dicerent, Religiosum Ordinis Carthusiani non posse aliter mortem evadere, nisi edendo carnes, deberet illas, non obstante Regulâ, aut voto, edere; quia, sicut iuramentum non obligat eum periculo mortis corporalis, ita nec votum, quod pari passu ambulat cum iuramento. Quamquam talis casus in praxi vix contingere possit, cum praestantes Medici existiment, posse vitam conservari, ac restaurari per alia media. *Abb. c. l. Limitari autem debet id, quod dictum, si iuramentum directè tendat ad mortem propriam inferendam; sicut verò, si occasionaliter tantum; ut tradit Gl. hic V. Salutis aeternae*; & *Abb. n. 2. Silvest. in summa. V. Iuramentum*; 4. q. 10. *Savrus in Clavis reg. lib. 5. c. 7. n. 7.* qui dant exemplum: si ultramontanus, v. g. Germanus, vel Gallus juraret, se moraturum Romae, mensè Augusto; quo tempore interdum mors contingit ultramontanis ibi morantibus, non tamen semper, nisi ex complexione verisimiliter praesumeretur de morte tunc temporis ob moram illam incurrendâ; tunc enim iuramentum tale non obligaret, ut sublimant DD. civ.

LXXI. Notandum tertio. Non solum iuramentum promissorium homini praestitum de re, quae sine culpa mortali impleri non potest, non obligat, sed neque iuramentum, quando promittitur res, quae absque culpa veniali impleri non potest, obligationem inducere potest; ut ex communi, & certâ sententiâ docet *Suar. lib. 2. de juram. c. 15. n. 5. & alii apud Barbof. in collect. in cit. c. Si verò*; n. 3. *h. t.* Ratio est; quia etiam peccatum veniale est contra rectam rationem, & à DEO prohibitum: adeoque non potest cadere sub praecipitum, nec esse materia iuramenti promissorii inducentis obligationem. Nec obstat, quod in *cit. c. Si verò*; dicitur, omne illud iuramentum non obligare, quod observatum vergit in interitum.

tum salutis aeternae: peccatum autem veniale non causat interitum salutis aeternae, cum per poenam temporalem remittatur; adeoque non impedit, quod minus obliget juramentum. Sed responderetur in primis, quamvis in hoc c. fiat mentio salutis aeternae, non tamen excluditur peccatum veniale; sed alibi generaliter dicitur, juramentum illicitum, seu de re illicita non esse observandum, ut in c. *Quanto*; 18. h. t. ubi dicitur, quod juramentum non possit esse vinculum iniquitatis, id est, obligare ad aliquid, quod illicitum, & peccatum est: & *Reg. jur.* § 8. in 6. quod non sit obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum. Deinde, quamvis peccatum veniale, per se, & immediatè, non privet salute aeternae, adeoque directè non vergat in dispendium eiusdem: disponit tamen ad peccatum mortale, & quam diu durat, impedit consecutionem vitae aeternae, & sic dici potest etiam vergere in dispendium salutis aeternae. *Suar. c. 1. n. 3.*

LXXII. Probatum secundò supra dicta assertio ex c. *Verum*; 15. h. t. ubi habetur, quod quidam inviti, & per injustum metum gravem adacti juramentum promissorium praestiterunt, ut vitam, & res suas servarent: quarebatur, an isti indigebant absolute à vinculo juramenti, an verò ipso iure sint absoluti? Respondit Papa Caëstinus III. quod Antecessores sui Romani Pontifices taliter jurantes absolverunt. Verumtamen, ut agatur consultius, & auferatur occasio pejerandi, non est eis, qui absolventur, expressè dicendum, ut juramenta non servent, sed quod puniri non possunt, tanquam Rei perjuri mortales, si ea non servent. Ratio decisionis patet ex supra dictis; quia sic jurantes obligantur quidem juramento ipsi DEO ad implendum, quod per nomen eius promiserunt, si quidem rem licitam jurarunt, & potiùs damnum temporale sustinere debent, quam juramentum violare, & proprià auctoritate contra illud venire; ut docet S. *Thom. cit. q. 89. art. 7. ad 3.* non tamen obligantur tali juramento inviolabiliter, sive irrevocabiliter, quia possunt perire à Prælate Ecclesiastico, & obtinere absolutionem à juramento; eò quod ille, qui vim inculat, hoc meretur, ut ei promissum non servetur, ut ait S. *Thom. c. l.*

LXXIII. Pro intellectu huius c. notandum primò. Non solum S. Pontifex, sed etiam Episcopi, alique Prælati Ecclesiastici, qui quasi Episcopalem jurisdictionem in foro externo habent, possunt juramenta, quae ex parte recipientis illa turpitudinem, vel injuriam continent, relaxare; ut docet *Molin. tract. 2. de justit. dis. 149. n. 11. Sanch. lib. 1. de matr. dis. 32. n. 15.* Nec obstat, quòd in hoc c. dicitur, SS. Pontifices solere absolvere ab hujusmodi juramenti nexibus; quia Papa hic solum factum narrat, non quasi ea potestas S. Pontifici tantum competat, *Barb. hic in Collectan. n. 2.*

LXXIV. Notandum secundò. Si is, qui ex metu gravi, & injustè incusso intentionem habuit, se omnino, & inviolabiliter obligandi ad implendam promissionem juratam, non petita relaxatione juramenti; & isque postea contra proprium juramentum relaxationem petat, & impetret, puniendus est tanquam perjurus; quia promissionem juratam violavit. Verumtamen, quia talis intentio in dubio non

praesumitur, sed potiùs quòd per vim, seu metum injustè coactus jurarit, secundum terminos juris, videlicet non excludendo facultatem petendi relaxationem juramenti: ideo in foro externo, si post obtentam relaxationem juramenti, non impleat, quod juratus promisit, non punitur tanquam perjurus; & ob hanc causam Pontifex in fine hujus c. dicit, non esse relaxationem juramenti petentibus expressè dicendum, quòd tale juramentum servari non debeat, ne detur occasio pejerandi, si nimirum jurans fortè priorem intentionem habuit omnimodè, & inviolabiliter se obligandi, etiam excluso absolutionis impetrandae remedio. Neque verò ex illis verbis ultimis sequitur, violare tale juramentum metu extortum, ante impetratam absolutionem, non esse peccatum grave, & mortale. Nam tale juramentum graviter obligat, si materia sit gravis; adeoque sub peccato mortali, licet ut alia juramenta absque injurià, & metu praestita: oritur enim talis juramenti obligatio ex virtute Religionis erga DEUM, qui nullam injuriam irrogat: & ideo opus est relaxatione, & ante illam non est dicendum, quòd non debeat servari, ne detur occasio pejerandi: verumtamen is, qui non servat, sed transgreditur tale juramentum, non est puniendus, tanquam propter mortale peccatum perjuri; non quia tale non sit, sed quia metus injustè incussus minuit culpam violationis: ideoque excusationem habet, & ab Ecclesia non punitur ita graviter tanquam perjurum liberè, & sine metu commissum; ut explicat S. *Thom. cit. q. 98. a. 3. ad 1. Gl. hic. V. Non servant à Abb. in c. Si verò; 8. n. ult. h. t. Silvest. V. Juramentum; 4. q. 7. dicto 3. Suar. lib. 3. de juram. c. 16. n. 18. Sanch. cit. c. 11. n. 18.*

LXXV. Notandum tertio. Juramentum promissorium, non solum, si metu gravi, sive cadente in virum constantem, extortum sit; sed etiam, si ex levi duntaxat metu sit praestitum, rescindi potest, & peti, ut ab Episcopo, vel alio Judice ordinario ex officio relaxetur, idque tum in foro interno, tum etiam in externo; ut ex probabiliore sententia docet *Joan. Andr. in cit. c. Verum; 15. n. 6. h. t. Abb. ibid. n. 3. Gl. in c. Cum dilectus; 6. V. Metum mortis; de iis quae vi met. c. Laym. lib. 3. Theol. mor. tract. 4. c. 6. n. 4. quamvis contrarium teneat *Gl. in cit. c. Verum; V. Invidi. Imol. in c. Si verò; n. 4. eod. Silvest. V. Juramentum; 4. dicto 5. quos sequitur. Sanch. lib. 4. de matr. dis. 20. n. 9.* si sermo sit de relaxatione juramenti in foro externo, non item in foro conscientiae. Sed prior, & opposita sententia colligitur ex l. ult. §. fm. ff. De eo, quod met. caus. ubi dicitur, quòd etiam metum non gravem passio succurratur Judicis officio. Et ratio est; quia in metu levi, si causam jurandi dedit, aequè, atque in gravi reperitur eadem ratio, cur juramentum remitti debeat, & actus rescindi; videlicet quia etiam metus levis injuriam continet ex parte metum huiusmodi incipientis, si vi talis metus sequatur consensus contrahentis, vel jurantis; & aequum non est, ut is, ex iniquitate sua commodum referat. Neque obstat *text. in l. Metum; 6. ff. De eo quod met. caus.* nam ibi solum dicitur, quòd non vanum, seu levem, sed gravem tantum metum passio, sive cadentem in constantem virum succurratur per Edictum Pratoris, sive per actionem, quod metus causa; idque ob multitudinem litium vitandam: at verò etiam levem*

levem metum passio, qui causam promittendi dedit, succurritur iudicis implorato officio, ex æquitate, & in odium metum incipientis, juxta *cit. c. ult. §. fin. ff. cod. Abb. in cit. c. Verum; n. 3. Laym. c. l.*

LXXVI. Denique confirmantur prædicta » ex *c. Sicut; 29. in princ. h. t.* ubi Papa Innocentius » III. rescribit, si constet, quod H. bellum inju- » stum gerat adversus I. induci debet, ut uni- » versa, quæ per vim abstulit, vel occupavit, ei- » dem restituat, ac proinde etiam dictus I. absol- » vi debet à juramento, quod eidem H. ob metum » præstitit. Quod si H. restituere noluerit, per sen- » tentiam excommunicationis compellendus est, & » terra eius interdicto subjicienda.

Hinc colligitur primò. Quod is, qui bellum injustum gessit contra alium, restituere debeat eidem, quæ per vim abstulit, non obstante fœdere jurato, quod alter per metum coactus iniit, cum tale juramentum ex parte recipientis turpitudinem, & peccatum contineat; ideoque is cogi potest ad illud remittendum: ipse verò jurans à juramento fœderis absolvi debet; quia, cum ex parte ipsius sine peccato servari possit, observari debet, donec relaxetur; ut patet ex supra dictis. Colligitur secundò, quæ bello justo auferuntur, restituenda non sunt. *Arg. huius c. à contrario sensu. Gl. Magna hic in notatis.*

LXXVII. Assertio secunda. Juramentum præstitum ex errore, vel dolo antecedente, qui dat causam actui, ita, ut eo absente quis non jurasset, & si versetur circa substantiam rei juratæ, est omnino irritum, nec relaxatione indiget; ut si quis juret, se donaturum scyphum, quem putat esse argenteum, cum sit aureus. Ratio est; quia hic error, vel dolus tollit consensum, & intentionem jurandi: secus est, si error, vel dolus versetur solum circa qualitates, & circumstantias accidentales rei: qui non tollit consensum quoad substantiam rei juratæ; tunc enim, etsi injustè illatus sit, juramentum est validum, sed relaxari potest. ita passim DD. de quo ipsi videri possunt.

Illud hic notandum, juramentum appositum contractibus, vel actibus ad eos firmandos, errore, vel dolo celebratis obligat pro natura contractus, vel actus, cui adjicitur: si enim contractus sit nullus, etiam juramentum est nullum: si verò sit validus, sed ob dolum, vel errorem rescindi possit, etiam rescindi poterit, non obstante juramento; quia juramentum sequitur naturam, & conditiones actus, cui apponitur. *Palao cit. dis. 2. pun. §. num. ult.*

§. IX.

De aliis nonnullis iuramentis licitis, quæ obligant, & omnino servanda sunt.

Proponuntur in diversis Capitulis hujus Tituli alia quædam juramenta, de quibus controversia erat, an sint servanda, & deciditur, ea obligare, & omnino servanda esse; de quibus agemus hoc §.

LXXVIII. Assertio prima. Si debitor expressè, vel tacitè juravit creditori, se super re oppi-

gnorata, ob fructus ex ea perceptos, & consumptos, nullum gravamen, seu molestiam ipsi illaturum; seu pignus non repetiturum, donec pecunia mutuo accepta ipsi soluta sit, obligatur juramento, prout sumitur ex *c. Ad nostram; 7. h. t.* ubi talis casus proponitur: Quidam nomine Petrus certam pecuniam summam aliquibus mutuavit, possessionibus, & redditibus earum in pignus receptis, & insuper ipsos debitores juramento obstrinxit, quod super his pignoribus nullum Petro creditori gravamen inferre velint, donec debitum solutum fuerit. Sed Archiepiscopus Rothomagensis illum creditorem idcirco excommunicavit, tametsi ex bonis, & redditibus eorum sibi oppignoratis nondum sortem integram, deductis expensis, percepisset, & contentus esset, si integram sortem reciperet (ut habetur in integra lectione huius c.) Quare Petrus creditor de hoc conquestus fuit Papæ Alexandro » III. qui mandavit eidem Archiepiscopo, cuiusque » conjugibus, ut creditorem illum, recepta prius » ab eo sufficiente cautione de parendo mandatis, à » censura Ecclesiastica absolvant. Deinde debito- » res eius, qui possessiones oppignoratas, earumque » redditus contra juramentum subtraxerunt, si ita est, » per censuras Ecclesiasticas compellant restituere, » nullamque creditori Petro molestiam inferant, do- » nec pecunia mutuo accepta, ipsi soluta sit. Post- » quam verò pecuniam, juxta juramentum suum, » ipsi solverunt, tum creditorem Petrum compellant » ad restituendum, quidquid ultra sortem ipsam re- » cepisset, constiterit, deductis tamen expensis: Quod » si Petrus admonitus non paruerit, in eandem ex- » communicationem, à qua absolutus fuit, redenda- » tur. Ratio prioris decisionis, quod debitor obli- » getur tali juramento, est; quia quodlibet juramen- » tum promissorium servari debet, ob Divini Nominis » reverentiam, si absque peccato possit: ergo etiam, qui » juravit, se non repetiturum pignus, nisi prius debitum » sit solutum, debet illud servare, cum sit de re licita » & quidem totum debitum prius solvi debet; quia, » quando debitum est liquidum, non tenetur creditor » solum partem illius in solutionem recipere. *l. Titius; 41. §. Lucius, ff. De usuris.* Ratio posterioris deci- » sionis est; quia, si creditor ex fructibus pignoris ali- » quid ultra sortem percipiat, debet id ipsum restituere, » detractis expensis in pignus factis. *c. 2. de usuris: ff. Laym. lib. 1. c. 1.* Si verò fructus percepti superent debitum, reddendi » sunt, qui superflui sunt, & repeti possunt, motà actione » pignoratitiâ. *l. 1. c. De pignorat. act.*

LXXIX. Sed contra decisionem huius c. Ob- » jici potest primò. Fructus ex pignore percepti com- » putantur in debitum, & si sint sufficientes ad totum » debitum, solvitur actio, & redditur pignus; ut dicitur » in *cit. l. 1. c. eod.* si ergo creditori, postquam is » sortem integram ex fructibus percepit, nulla com- » petit actio contra debitorem, seu mutuatarium, se- » quitur, quod nulla etiam ibi sit obligatio, ex qua » nascitur actio; quia obligatio, & actio sunt correlata, » quæ se mutuo respiciunt. Respond. si ex pignore » fructus sint percepti, & consumpti à creditore, & ad- » æquent totum debitum; tunc licet compensatio, ac » veluti solutio quædam sortis ipso jure facta sit (nam » compensatio, est species quædam solutionis. *l. Si se; 4. §. Solvisse; ff. De re judic. l. Dedisse; 76. ff. De P. S. ubi*

ubi dicitur: dedisse intelligendus est etiam is, qui compensavit) potest tamen debitor huic compensationi renunciare, promittendo, quod non velit fructuum perceptorum restitutionem, seu compensationem à creditore petere, nisi prius pecuniam debitam, seu mutuum acceptam integrè creditori solverit. Verumtamen tale pactum videtur esse usurarium; ut notavit *Abb. in cit. 6. Ad nostram; num. 3.* quia per illud onus, seu gravamen pretio æstimabile ultra sortè imponitur debitori, seu mutuuario, quandoquidè jam ipso jure liberatò à solutione, viâ compensationis, adhuc solvere cogitur, & postea expectare, donec sibi à creditore pro fructibus, & pignore perceptis satisfiat.

LXXX. Objicitur secundò. Is, qui iuravit, se debitum soluturum, potest uti compensatione cum alio simili, ac liquido debito; quia compensatio est quedam æquivalens solutio, & satisfactio: ergo, si creditor ex fructibus pignoris tantum accipit, quantum erat debitum, compensatione factà, debitor solvitur: & iuramento satisfecisse; quia iuramentum adiectum promissioni interpretandum est secundum limites iuris, ita, ut non augeat eius obligationem extensivè, sed tantum intensivè, superaddendo novam obligationem ex virtute Religionis, relictà priore obligatione intra limites suos. *Resp. In primis cum Covarr. in cap. Quamvis; p. 1. §. 4. n. 9. & 10.* debitorem, qui iuravit creditori nullum inferre gravamen super re pignoratam, non posse repetere pignus, viâ compensationis, computando fructus in sortem; quia debitum fructuum non erat liquidum: non enim constabat de quantitate fructuum perceptà ex pignoribus, deductis expensis: ideòque non poterat debitor liquidum debitum pecuniarium cum illiquido fructuum compensare. *Suar. l. 2. de juram. c. 37. n. 19.* Deinde in casu *cit. cap. Ad nostram.* debitor non solum iuravit, quod velit solvere, sed etiam, quod neque in pignore, neque in eius fructibus ullum gravamen, vel molestiam inferre velit, nisi prius pecuniam mutuo acceptam solverit, ac proinde iuri, ac facultati compensandi expressè, vel saltem tacitè renunciavit: quare minus non est, quod iuramentum in eo casu servandum fuerit in formà solutionis omnino specificà, sive, ut solutio fieret in numerata, seu actuali pecunia; quia cum tali restrictione promissio jurata facta fuit; ut docet *Silvest. l. Juramentum; 3. q. 6. Azor p. 1. lib. 11. c. 8. q. 10. Sanchez. lib. 3. de juram. c. 17. n. 15. Laym. lib. 4. tract. 3. c. 9. n. 6. Barb. in Collect. in cit. c. Ad nostram; n. 7. h. t.*

Adit *Suar. c. l. n. 17. & 18.* Si manifestè constitisset, intentionem jurantis non fuisse, excludere compensationem pro solutione debiti, seu promissi iurati, tunc ea admitti potuisset; ut colligitur ex *cit. cap. Ad nostram.* in quo ideo mutans iniuste fuit excommunicatus, & pignoribus privatus; quia nondum sortem, deductis expensis, receperat: ergo à contrario sensu, si constitisset, eum recepisse integram sortem, & pignora reddere noluisse, sorte contentus, iuste excommunicari potuisset. Sed quia illa verba, *ipso iuramenti religione astringens, quod super illis, donec solverent sibi pecuniam, nullum eis gravamen inferrent, ambigua erant, de quo gravamine, & an de pignoribus tantum secundum se, vel etiam ratione fructuum essent intelligenda; ideo in tali dubio Papa securius esse, iudicavit, ut fieret actualis solutio debiti; eò quod pro-*

Tomus I I.

habilitè præsumi posset, quòd eo sensu iuratum fuerit; ut in foro Ecclesiastico non admitteretur compensatio. *Suar. c. l. n. 18.*

Porò ex dictis colligitur, si quis iuravit, solvere pecuniam, nullà motà super solutione controversià, non potest opponere compensationem; secus, si simpliciter iuravit solvere: si quis autem iuravit, verè solvere, nunquam potest uti compensatione, cum hæc non sit vera, ac realis solutio, sed ficta solum. *Barb. in cit. cap. Ad nostram; n. 8. & 9.*

LXXXI. Assertio 2. Abbas, & Monachi, qui pro debito monasterij iuraverunt stare in obftagio, interim, dum debitum est solutum, tenentur servare iuramentum; similiter & fideiussores, qui iuraverunt, creditorem servare indemnem; prout statuitur in *c. Ex Rescripto; 9. h. t.* Nam quidam Abbas certà pecunià summà mutuo acceptà, convenit cum creditore, ut certo loco, & tempore solutio fieret, atque in securitatem conventionis factà, Monachos obsides dedit, qui de eadem observanda iuraverunt, ita quidem, ut, si ipsi deficerent, alii Monachi, loco eorù substituerentur: quòd si & hi fidem non servarent, in defectum eorum, Abbas dedit fideiussores, virum quendam Nobilem, & uxorem eius, qui similiter sub iuramento se obligaverunt ad fidem servandam. His intellectis, mandat Alexander III. quibusdam Episcopis, ut Abbatem, Monachos, & coniuges illos moneri curent, ut, sicut iuraverunt, conventionem illam impleant; alioquin Abbati, & Monachis ingressum Ecclesiæ interdicant: at verò in coniugum illorum terrà Divina Officia celebrari, usque ad condignam satisfactionem inhibeant.

LXXXII. Pro explicatione huius c. Notandum Primò. Obsides alii sunt propriè dicti, qui dantur publicè auctoritate, ut pax, vel fœdera, inter eos, qui ius belli gerendi habent, imita observentur; & isti sunt quasi servij ideòque testamentum condere non possunt, sine licentia Principis. *l. Obsides; 11. ff. Qui testam. fac. poss. Abb. hic n. 7. & Felin. n. 6.* Quòd si pars illa, quæ obsides dedit, pacta, & fœdera non observet, ij bonis spoliari, sed occidi non possunt, si innocentes sint, aut tuà culpà pœnam capitalem non sint promeriti; ut docet *Molin. tr. 2. dif. 120. n. 2.* Alij verò sunt obsides minus propriè dicti, qui dantur à privato pro debito civili, & talis obses liber homo dari non potest, ita, ut jus aliquod reale, videlicet pignoris, vel quasi servitutis in eo constitutur, & creditori acquiratur. *l. Qui filios; 6. C. Quæ res pign. oblig. poss. l. Obses; 12. C. de oblig. & action. Gail lib. 2. obs. 45. n. 4.*

Excipitur primò. Quòd pater filium in valde gravi necessitate, v. g. famis, vel magnæ paupertatis pignori, seu obsidem dare possit. *Arg. l. 2. C. de patrib. qui filios suos distr. ubi habetur, quòd propter nimiam paupertatem pater vendere potest filium: & ibi Gothofre. lit. D. ex quo inferit Felin. hic n. 4.* quòd Abbas Monachum, in casu necessitatis, & in gravi egestate Monasterij, cui aliter succurri non possit, pignoris loco dare non prohibeatur, ita, ut extra claustrum detineatur, donec debitum sit solutum; quia Monachus æquiparatur filiofam. imò & servo.

Excipitur secundò. Quòd debitor possit se obligare, ut, si in mora solvendi fuerit, coniciatur in carcerem (non quidem privatum, qui per leges est prohibitus. *l. I. C. de carc. privar. sed publicum, in quem*

LII

per

per Magistratum debitores conjici possunt. *Arg. l. C. Qui bonis cedere poss.* inque eo detineantur, donec debitum solvant: nam videmus quotidie, debitores, si in mora solvendi sint, carceribus mancipari, donec solvant, vel idoneam cautionem præstent: ergo, cum licitè id quandoque fiat, etiam in pactum deduci potest. *Felin. c. l. n. 8. Gail l. 2. de pace publ. c. 2. n. 8.* Similiter potest quis se obligare, ut, si in mora solutionis fuerit, capiatur, & in arresto Magistratus auctoritate detineatur. *Arg. c. Cum dilectus; 32. prope finem. de elect.* Verumtamen nemo potest se obligare ad verbera, torturam, vel aliam pœnam corporalem, aut mortis, cum nemo sit Dominus membrorum suorum. *l. Liber homo; 13. ff. ad leg. Aquil. Gail cit. loc. num. 14.*

LXXXIII. Notandum secundò: Obses pro civili debito datus, etsi possit se obligare ad permanendum in certo loco, & ad certum tempus: non tamen, ut semper in eo loco, donec facta sit solutio, sive id, quod conventum est, permaneat. *Abb. hic n. 7. Felin. ibid. n. 7. & 8.* Et ratio est; quia videtur esse quædam species servitutis, quæ in hominem liberum non cadit. *Arg. l. Titio; 71. §. Titio. ff. de condit. & demonstr.* fieri enim potest, ut debitor diutissime moram trahat in solvendo, vel nunquam solvat. Excipe, nisi iuramentum adiectum sit non recedendi à tali loco, donec solutio facta sit; quia, cum tale iuramentum sine peccato servari possit, non enim secundum se, & ex obiecto suo malum est, neque contra bonos mores naturales: ideo servari debet, donec à Superiore obrineatur eius relaxatio. *Abb. hic n. 7. & Felin. n. 9.* sicut etiam se obligare quis potest favore causæ piæ, ad persistendum in certo loco, v. g. ad serviendum Ecclesiæ, vel Xenodochio; quia servire DEO est libertas, non servitus.

LXXXIV. Assertio 3. Qui iuravit, quòd iura alicuius Ecclesiæ pro viribus suis defendere velit, iuramento illo tenetur: quòd si postea, incidente aliquâ necessitate, sub iuramenti debito requisitus eam non defendat, sed appeller ad Superiorem, à periurio non excusatur, sed illud incurrit, nisi adsit difficultas, ob quam non posset Ecclesiæ subvenire; prout statuit Innocentius III. in cap. Brevi; 17. h. r. Ratio est; quia tale iuramentum de defendenda Ecclesiâ, eiusque jura, est licitum, & honestum: ideòque, qui illud, non obstante legitimo impedimento, non implet, ac servat, periurii culpam incurrit.

LXXXV. Limitatur autem tradita assertio 1. Si is, qui iuravit, se defensurum res Ecclesiæ, impediat, ob occurrentem difficultatem, vel moralem necessitatem; nam hæc excusat à periurio. *Gl. hic v. Difficultas,* & habetur in fine huius c. Sic quoque, qui iuravit, se laudum, seu sententiam arbitri servaturum, potest, non obstante iuramento, ex legitima causa, petere, ut à Judice reducatur ad arbitrium boni viri; vel, si probat, se probabili errore inductum fuisse ad ita iurandum. *Abb. hic n. 3. Arg. cap. Sacro; 48. de sent. excom.*

Limitatur secundò. Si Ecclesiâ, cuius jura quis se defensurum iuravit, nolit vicissim præstare ea, quæ debet, v. g. salarium debitum Advocato: tum enim hic non obligatur, illam defendere. *Gl. hic v. Requisitus.* quod tamen tum solum procedit, si promissio il-

la iurata defendendi illam Ecclesiâ facta sit sub conditione propriè dictâ; v. g. si vicissim solvetur salarium Advocato: fecus, si facta sit solum sub modo; tunc enim, etiam si salarium vicissim promissum ab Ecclesiâ non solvatur, per negligentiam Prælati, obligatur nihilominus iurans ad defendendam Ecclesiâ; quia promissio facta sub modo tenet, neque revocari potest, etiam si modus adiectus non servetur, quia non suspendit promissionem, sicut conditio, quamvis agi possit, ut impleatur modus. *Abb. hic n. 7. Laym. lib. 3. tract. 4. c. 4. n. 6.*

Limitatur tertio. Nisi is, qui iuravit, se defensurum Ecclesiæ, v. g. Advocatus, per alium equè idoneum paratus sit, eam defendere; ut notat *Joan. Andr. hic n. 9.* nam officium advocati per alium expediti potest. *l. Rem non novam; 14. C. de Indul.*

Limitatur quartò. Nisi Ecclesiâ causam manifestè iniustam foveat; tunc enim Advocatus, qui iuramentum edidit de patrocinio ei præstando, non tenetur eam defendere, neque idcirco erit periturus; quia promissio generalis, etiam iurata, non se extendit ad hoc, ut defendat iniustam causam. *Abb. hic n. 8.* In dubio verò, an causa Ecclesiæ iusta sit, necne, si speculative tantum dubium sit, obligatus est Advocatus eam defendere; quia, cum in tali casu possit patrocinium præstare; ut docet *Laym. lib. 1. r. l. c. 5. §. 3. n. 17.* ob interveniens iuramentum, ad id tenetur, modo probabilis spes sit obtinendi; causam in Judicio pro Ecclesiâ; alioquin frustra ei patrocinaretur, seque temere exponeret periculo perdendi bonam existimationem suam. Si verò Advocatus practice dubitet de iustitia, nimirum, an sine peccato in tali causa patrocinium possit Ecclesiæ, neque illud dubium deponere queat, relinquendus est suæ conscientiæ. *Jo. Andr. hic n. 9. in fine.* quia, cum Advocatus in Jure peritus sit, ut imponitur, non videtur obligatus esse ad conformandum se in dubio sententiæ ipsius Abbatis, vel Rectoris Ecclesiæ, contra propriam conscientiam. Quintò denique, qui iuravit Ecclesiâ defendere, non tenetur ad id, si ex forma iuramenti, & circumstantiis facti appareat, jurantem noluisse se obligare ad defendendum, nisi fuerit requisitus; alioquin verò tenebitur, etiam si non fuerit requisitus, si sciat, Ecclesiâ suo patrocinio indigere. *Abb. hic n. 5.*

SECTIO II.

DE JURAMENTO LITIS DECISIVO.

Egimus hæctenus de variis iuramentis, tum liticis, tum illicitis, sed extrajudicialibus: nunc vero agendum est de iuramento judiciali, quòd litis decisivum vocatur; quia ad lites in Judicio decidendas, ac definiendas servit, & desertur; ut dictum supra

num. 20. de quo agitur in cap. ult. hoc tit. & nos in seqq. §§. agemus.



S. I. An

§. I.

An Iuramentum litis decisivum à Iudice, vel à parte alteri litiganti deferri possit?

LXXXVI. Assertio 1. Si Iudex parti litiganti, sive Reo, sive Actori, iuramentum litis decisivum ex officio deferat, non potest ab ea recusari; sed is, cui delatum est, jurare cogitur, nisi justam causam recusandi alleget, ac probet, cur jurare non debeat; vel nisi iuramentum à Iudice delatum alteri parti litiganti referre velit; prout sumitur ex l. Generaliter; 12. junct. Gl. V. Vel referatur. C. de reb. credit. & constat ex C. Iuramentum; 36. & ult. in princ. h. t. ubi statuitur: iuramentum à Iudice parti delatum, ab ea, nisi iusta ex causa (eaque allegata, ac probata, Gl. hic in casu) recusari non potest: sin autem à parte parti in Iudicio iuramentum deferatur, pars, cui deferretur, licetè illud recusare potest, vel referre. In actione tamen famosa Reus referre iuramentum non potest, Ratio prioris partis huius est, quia maximum remedium expediendarum litium est iusiurandum. l. 1. ff. de Iurejur. ideòque ob inopiam probationum à Iudice deferri potest, ac debet parti litiganti. l. In bono; 3. C. de reb. cred. & Iurejur. ubi dicitur, ob inopiam probationum, per Iudicem (deferentem Iusiurandum. Gl. hic V. Eod.) Iurejurando causà cognita, lis decidi, seu definiti potest. Nam, cum in Iudicio sæpe non jus, sed probatio deficiat: ideo statutum est, ut, si neque per testes, neque per instrumenta, neque per præsumptiones, vel conjecturas res controversa in Iudicium deducta sufficienter probari possit, recurratur ad iuramentum, ita, ut sive Actori, sive Reo incumbat onus probandi, utriusque licentia detur adversario suo deferendi iuramentum, vel delatum referendi. l. Manifeste; 38. ff. h. t. & l. Cum de indebito; 25. §. In omnibus. ff. de probat.

Porro, iustæ causæ recusandi plures sunt, veluti Primò. Si is, cui deferretur iuramentum, veritatis, ac rei gestæ sit ignarus, vel probabilem obligationem alleget, cum hoc sit iuramentum veritatis: vel si materia, seu actio sit talis, quæ non potest quis conveniri: vel si Actor plenè probavit intentionem suam, juxta cap. 2. de probation. ubi reprobatum consuetudo, vi cuius Actor, qui plenè probavit, jurare compellitur: cur enim jurare cogatur, qui sufficienter de jure suo docuit? cum ad iuramentum recurri non debeat, nisi in defectum, & supplementum probationis; vel ex parte Rei, si Actor nihil probavit: tum enim absolvendus est Reus. Abb. in cit. cap. ult. n. 5. & 6. Laym. lib. 4. Theol. moral. tract. 3. cap. 5. n. 2. Potest etiam Iudex examinare justitiam causæ, eamque, si non satis iusta videatur, rejicere, ita tamen, ut pars litigans, si, iniuste gravari se existimet, appellare possit. cit. l. Generaliter. §. Sed iuramento; & ibi Gl. V. Auxilium. C. de reb. credit.

Is autem dicitur deferre iuramentum, qui primò alteri parti colliganti offert, ut juret: referre autem, qui iuramentum priùs sibi delatum, cum jurare nolit, offert adversario, ut ipse juret.

Tomus II.

LXXXVII. Assertio 2. Si pars parti iuramentum litis in Iudicio deferat, simpliciter à parte, cui deferretur, recusari, vel referri potest. cit. cap. ult. h. t. Ratio est; quia, cum una pars litigans in alteram nullam potestatem habeat, non potest una alteram compellere ad acceptandum iuramentum ipsi delatum: adeòque illud recusare potest; & is, cui iuramentum delatum est, potest illud referre deferenti; quia æquum est, ut hic patiatur legem, quam ipse tulit. cap. Cum omnes; 6. de constit. Quare tale iuramentum voluntarium dicitur; quia proficiscitur ex pactione, seu conventionione ipsorum litigatorum. l. 1. & l. Qui jurasse; 26. §. ult. ff. h. t. delatum enim ab una parte, & ab altera acceptatum in Iudicio, vel extra illud, transactionis quandam speciem continet. l. 2. l. Admonendi; 31. in fine. ff. Eod. & ibi Gl. V. Quod si aliàs. Transactio autem, sicuti & quælibet pactio, voluntariam causam habet; quia ex libera voluntate, & consensu transigentium, vel paciscentium oritur. Quòd si iuramentum à parte parti delatum referatur, necessariò præstandum erit ab eo, qui illud detulit: aliàs super principali causa ulterius is non audietur; cum non debeat displicere conditio Iusiurandi ei, qui priùs detulit. l. Iusiurandi; 34. §. Datur. ff. h. t.

LXXXVIII. Excipitur primò. Nisi iuramentum in Iudicio à parte parti deferatur, Iudice approbante: tum enim quodammodo necessarium est; quia vel jurare debet is, cui delatum est, cum Iudicis approbatione (nisi iustam causam afferat, cur iurare non deberet, ut supra dictum) vel iuramentum referre. cit. l. Generaliter. §. Sed iuramento. C. de reb. credit. l. Iusiurandum; 34. §. Aut Prætor. ff. h. t. Alioquin Reus, si non iurare velit, nec referre, pro confesso habebitur. l. 38. ff. Eod. ubi dicitur, manifestæ turpitudinis est, & confessionis, nolle iurare, nec iusiurandum referre; sin autem Actor iurare nolit, nec referre, tunc Reus absolvendus est. cit. l. Iusiurandum; 34. §. ult. h. t. Abb. in cit. c. ult. n. 4. h. t. Laym. cit. cap. 5. n. 2. Wesenb. in paratit. ff. h. t. n. 9.

Excipitur secundò. Nisi Reus, cui iuramentum, Iudice approbante, delatum est, paratus sit per testes, vel alias idoneas probationes demonstrare innocentiam suam: tum enim ad jurandum cogi non debet. Wesenb. c. l.

Excipitur terriò. Si Actor, quia factum alienum plenè probare non potest; ut quia v. g. reperit in arca paterna instrumentum debiti, quod plenam probationem non facit, ob defectum alterius probationis, iuramentum deferat in Iudicio, & is vicissim Actori illud referre velit: hoc casu, Reus iuramentum sibi delatum referre non potest, nec recusare, sed à Iudice ad jurandum cogi debet, vel pro confesso haberi; nam tunc Actor licetè recusat iuramentum sibi à Reo relatum præstare, ob periculum periurii, si iuraret de facto alieno; prout sumitur ex l. Marcellus; 11. §. ult. ff. de action. rer. amorar. Abb. in cit. c. ult. n. 11. qui notat ex Gl. fin. & marg. in cit. l. 11. ideo tunc non esse locum relationi iuramenti; quia id, de quo queritur, non cadit in scientiam eius, cui ab initio deferretur: sed quando æqualiter cadit in scientiam utriusque, quia v. g. verberatus est ab aliquo, tunc est locus relationi iuramenti.

Excipitur quartò. Si in actione famosa, seu infamante, v. g. furti clandestini, iuramentum ab Actore

Lil 2

Reo

LITIS

mentis, cum
us: nunc vero
quod litis deci-
decidendis,
dictum super
hoc tit.

§. I. An

Reo delatum sit, is non potest licite illud referre; prout habetur in *cit. cap. ult. h. t.* Rationem dat *Abb. ibid. n. 17.* quia in ejusmodi causis Reus melius plerumque scit veritatem, quam Actor, sive Accusator: nam, si quis clam abstraxit tibi rem tuam, & tu ipsi deferas juramentum; si ipse referret tibi, non posses, turâ conscientia, jurare, cum non certo id scias, an is furtum commiserit, de quo tamen ipsi furi tanquam de facto proprio constare potest. Quare, si tale sit furtum, de quo Actor æquè scientiam habere potest, atque Reus; tunc etiam in causâ famosa juramentum Actori referre licebit; ut docet *Abb. c. 1.*

§. II.

Utrum, cum à Iudice juramentum in causa dubia, ob inopiam probationis, deferretur, illud Reo ad purgationem sui, sive innocentiam suam demonstrandam, an verò Actori in supplementum probationis deferri debeat?

LXXXIX. Assertio 1. Non potest certa regula generalis tradi, num Judex Actori non nisi semiplenè probanti juramentum deferre debeat, in supplementum probationis: an verò Reo, in sui purgationem; sed Judex id arbitrari prudenter ex circumstantiis debet; prout deciditur in *cit. ult. §. Sanè. h. t.* Ubi dicitur: Si Actor in probatione omnino defecerit, sive nihil probavit; Reus, etsi nihil præstitit, obtinere, seu absolvi debet: sin autem Actor præsumptionem pro se habeat; Reo juramentum deferri potest, ad sui purgationem, sive ad ostendendam innocentiam suam, nisi Judex, consideratis circumstantiis causæ, & personatum, existimet, illud Actori potius esse deferendum. *Gl. hic V. In probatione.* Ratio est; quia Rei favorabiliores potius, quam Actores habentur. *Reg. Jur. 115. in ff. & promptiora sunt jura ad absolvendū, quam ad condemnandam. c. Ex litteris; 3. de probat.* Adeoque ordinariè, & ceteris paribus, Reo potius ad ostendendam suam innocentiam juramentum deferendum est, nisi spectatis circumstantiis, deferendum videatur Actori. Consentit *cap. ult. in fine. de testib. in 6.* ubi dicitur, quod non semper appellanti, si præsumptionem pro se habeat (quia v. g. habet unum testem pro se. *Glos. ibid. V. Præsumptione.*) juramentum deferri debeat à Judice; sed tunc, cum inspectis causæ, & personarum circumstantiis, id fuerit faciendum.

XC. Notandum primò. Si Actor plenè probavit intentionem suam, tum Reus condemnatur: sicut vice versâ, si Actor nihil probavit, Reus est absolvendus, etiam sine juramento. *Glos. in l. Admonendi; 31. V. Exacto juramento. ff. hoc tit.* Si verò Actor plenè non probavit, sed semiplenè tantum per unum testem; vel quia præsumptionem probabilem pro se habet, & Reus quoque non nisi semiplenè innocentiam suam ostendit; tunc ordinariè juramentum Reo est deferendum ad sui purgationem, & innocentia ostensionem; ut patet ex *cit. §. Sanè. Quòd*

si Reus nihil omnino probavit pro defensione sua, quæ alicui præstitit, quod Actoris intentionem excuset, vel obscurer, quam negando præcisè intentionem Actoris, cum tamen Actor semiplenè probaverit; tunc, cum ob probationis inopiam iuramentum causa decidenda sit, juxta *cit. l. In bona; 3. C. de reb. cred. Actori potius deferendum est juramentum, quam Reo; tum enim nulla est ratio, cur potius Reo juranti in causâ propria credatur, quam Actori, qui jam de Jure suo aliqua ex parte docuit, & pro quo major est præsumptio, quam pro Reo. Idque confirmatur ex *cit. §. Sanè.* ubi dicitur, quod Judex, inspectis circumstantiis causarum, & personarum, Actori juramentum suppletivum deferre potest: nulla autem est maior circumstantia, quæ movere possit Judicem ad juramentum Actori deferendum, quam cum is suam intentionem semiplenè probavit, Reo contra nihil omnino probante; tunc enim merito opinari potest, Actorem veritatem dicere, Reum verbò mentiri. Quare, cum in tali casu Judex non possit Reum absolvere, quippe qui nihil sui defendenti causâ proposuit, adeoque penè convictus est: neque tamen etiam eundem simpliciter condemnare possit; quia intentio Actoris non est plenè probata: ideo ob probationis inopiam, lis Jureiurando decidenda est. *cit. l. In bona.* & cum hoc casu pro Actore maior sit præsumptio, quam pro Reo, illi potius, quam huic juramentum est deferendum. *Fachin. l. 1. controuv. jur. c. 18.* Nec obstat, quòd Actore non probante, Reus absolvitur. *l. Qui accusare; 4. C. de eand.* quia id verum est, si nihil omnino probavit: secus, si probavit, etsi non plenè; tunc enim accedente eiusdem juramento, plena, & sufficiens erit probatio. Quòd si verò pares sint utriusque, tam Actoris, quam Reus probationes, & Reus aliquid præstitit, sive aliquid pro sua defensione proposuit, per quod res dubia reddidit, tum Reo potius, quam Actori juramentum est deferendum. *cit. ult. §. Sanè; l. Admonendi; 31. h. t. Fachin. c. 1.**

XCI. Notandum secundo. Ut juramentum deferri possit, in supplementum probationis, plura requiruntur. Veluti primò. Ut fiat, præmissâ causæ cognitione; ut patet ex *cit. l. In bona; 3. C. de reb. cred.* ubi dicitur, quòd per Judicem jureiurando, causâ cognitâ, res decidi oportet, seu causa definiti, ad quam causâ cognitionem exigitur, ut adversarius citeatur. *Menoch. de arbitr. jud. casu 464. n. 56. & 57. Gaill. l. 1. obs. 108. n. 8.* Secundo. Ut Actor semiplenè probaverit per unum testem omni exceptione maiorem, vel alias probationum species, vel saltem per vehementè præsumptionem, quæ tamen plenam probationem non faciat. *Menoch. de arbitr. jud. casu 190. n. 2. Marant. de Ord. judic. p. 6. juram. actu 9. n. 4.* Tertio. Ne deferatur hoc juramentum ei, qui cognitionem rei non habet, sed veram scientiam per sensum corporeum; quia sic iurans æquiparatur testi, qui, si deponat tantum de credulitate, & non de visu, vel alio sensu corporeo, nihil probat. *l. Testium; 8. C. de testib. & ideo tale juramentum non deferretur heredi super factis defuncti, quod probabiliter ignorare præsumitur. Menoch. cit. loc. num. 5. & 7. Marant. num. 5. Mascard. de probat. concl. 956. n. 61. & 62.* Quarto. Ut is, cui deferretur, non sit persona vilis, aut infamis, sed fide digna, & honesta, nec suspecta de perjurio. *Menoch. c. l. 12. Mar. c. l. n. 6. Masc. n. 66. Quintob. Ut*

ut causa non sit ardua, seu gravis, & magni momenti, in qua non deferretur iuramentum, sed modica; id quod Iudicis arbitrio relinquatur determinandum, *Mench. c. l. n. 17. & 18. Mar. num. 7.* Atque hinc jam patet, quas circumstantias Iudex considerare debeat in delatione iuramenti suppletivi. Addit *Marran. c. l. n. 9.* quod iuramentum non deferatur in supplementum probationis, quando semiplena probatio est elisa per contrarias probationes. Porro, si concurrentibus prædictis requisitis, Iudex iuramentum deferre nolit, ad actoris petitionem, qui aliter probare non potest, v. g. clandestina sponsalia, ab eo appellari poterit, ut docet *Bart. in l. Admonendi; 3 t. n. 59. ff. h. t. Masc. cit. concl. n. 2.* Idque probatur ex *cit. l. In bona fidei; ibi: Oportet, quod necessitatem importat.*

XCII. Assertio secunda. Si Actor plenè probavit intentionem suam, videlicet per duos testes, v. g. pecuniam se mutuo dedisse Titio, tali die, & loco: Reus autem contrarium probet semiplenè, reprobando nimirum depositionem duorum testium per unum testem, qui deponat, eo tempore, Titium non fuisse in illo loco, sed alibi: hoc casu, iuramentum deferri nequit Reo in supplementum probationis ipsius; quia plena probatio Actoris præfertur contrariæ semiplenæ Rei, eamque elidit, cum in Iudicio is causam obtineat, qui potiores probationes adduxit, seu plenius probavit. *Arg. c. Licet; 9. de probat. & c. In nostra; 32. de elect. & tradit Abb. in cit. §. Sanè; n. 10. h. t.* Si verò probationes utriusque partis non sint contrariæ, seu impossibiles; quia v. g. Actor plenè probavit per duos testes, mutuum à se esse datum, Reus verò semiplenè per unum testem probavit exceptionem suam, v. g. solutionem esse factam, vel pactum de non petendo supervenisse; hoc casu, cum Reus excipiendo fiat Actor, Actore verò semiplenè probante, Iudex Reo deferre possit iuramentum; ideo tunc deferri potest, *Abb. c. l.*

§. III.

In quibus causis iuramentum deferri possit, vel etiam debeat, sive à parte, sive à Iudice, & in quibus non possit?

XCIII. Assertio prima. In omni actione, seu causa, quæ in Iudicio proponi potest, deferri potest iuramentum voluntarium à parte parti. *l. At Pretor; 3. §. 1. & l. 2. ff. h. t.* sed & in actionibus famosis, seu infamantibus Actor Reo iuramentum deferre potest, quando agitur civiliter ad proprium interesse, non autem, si agatur civiliter ad plurimum interesse, quæ dicitur actio popularis. *cit. l. 1. & seqq. ff. De popul. act. Abb. in cit. c. ult. n. 13. h. t.* In autem de crimine famoso agatur criminaliter; tunc etiam Actor iuramentum Reo deferre potest in causis, quibus licitum est transigere; quia iuramentum vim transactionis habet, saltem ita, ut præstito iuramento, Actor repellendus sit, quamvis alius de eodem crimine postea accusare, vel Iudex ex officio procedere possit. *Alex. de Nevo in cit. c. ult. n. 55. h. t.* apud quem plura de hoc videri possunt.

XCIV. Assertio secunda. Iuramentum necessarium, in supplementum probationis, regulariter à Iudice deferri potest Reo, ad petitionem Actoris, in quavis causa; ut constat ex *cit. l. 3. C. de reb. cred.* ubi dicitur, in bonæ fidei contractibus, nec non etiam in ceteris causis (nimirum non solum in contractibus stricti juris, sed etiam in delictis, & quasi delictis, cum super his omnibus jurari possit. *Gl. ibid. V. Causis*) ob emergentem inopiam probationum, per Iudicem (deferentem jusjurandum, vel à parte parti delatum approbantem, & sic in utroque casu hoc locum habet. *Gl. ibid. V. Per Iudicem.*) iurejurando, causâ cognitâ, res, seu lis decidi debet. *Masc. de probat. concl. 956. n. 1.*

XCv. Excipiuntur primò Causæ criminales, in quibus licet Iudex aliquando deferre possit Reo iuramentum, in sui purgationem, sive ad ostendam suam innocentiam, si Actor sufficienter non probavit crimen, tamen ipse Reus nihil præstiterit, sive ad defensionem suam probaverit; prout sumitur ex *cit. c. ult. §. Sanè; h. t.* non tamen Actor, seu Accusatori deferre potest Iudex iuramentum, in supplementum probationis, si causa sit criminalis, & agatur criminaliter ad vindictam publicam; tunc enim probationes debent esse luce meridiana clariores. *l. ult. C. De probat. & necesse est, ut Reus confessus, vel convictus sit, ut condemnari possit. l. Qui sententiam; 16. C. De pæn. secus, si agatur civiliter tantum, ad privatam utilitatem, præsertim, si non sit actio famosa; ut ex communi docet *Clarus §. fin. q. 63. n. 1. ubi n. 3.* ait, in causa criminali, si agatur, non ad pœnam corporalem, sed pecuniariam imponendam, posse deferri iuramentum suppletorium, ex communi opinione DD. Et sic intelligendum esse text. in *cit. l. At Pretor; 3. §. 1. ibi: Pœnali actione. ff. Et in c. ult. ibi: Famosa actione. h. t.* nimirum, quod loquatur de causâ criminali civiliter intentatâ; ut colligitur ex verbo, *actione*, utroque loco usurpato: ubi enim criminaliter agitur, dicitur potius accusatio, quàm actio. *l. De fide; 16. C. Ad l. Cornel. de fals.* Verba autem illa in *cit. l. 3. C. De reb. cred.* Et in ceteris causis; de civilibus causis pecuniariis, & privatis actionibus sunt intelligenda. *Franc. c. l. infine.* Alii verò DD, plures apud *Mench. de arbitr. Iud. casu 464. n. 7. & duobus seqq.* dicunt, quod in causis criminalibus, etiam, quando civiliter tantum agitur, non possit deferri hoc iuramentum Accusatori, vel Actor, si semiplenè tantum probavit; sed opus esse, ut plus, quàm semiplenè probaverit: & tum etiam relinqui Iudicis arbitrio, an ipsi deferendum sit, necne, quamvis aliqui absolute velint, hoc casu deferendum esse.*

Verùm hodie in Iudiciis criminalibus hic ordo servatur, ut, si Reus sit confessus, & convictus, condemnatur, juxta *cit. l. Qui sententiam; C. De pæn.* si verò non sit confessus, neque convictus, multis tamen argumentis, seu indicis, quæ suspicionem, vel opinionem faciant, oppressus, subjiciendus est tormentis ad eruendam veritatem. *l. 1. §. 1. ff. De quaest. Fachin. c. l.* Quod si tormentis, ob defectum legitimorum indiciorum, locus non sit, quandoque Reus ad iuramentum purgationis admittitur, idque ei deferretur. *Clar. c. l. n. 4. Fach. c. l. De quo latè agit Gail. l. 2. de pace publ. c. 7.*

XCVI. Excipiuntur secundò Causæ famosæ, in quibus iuramentum suppletorium Actori deferri non potest. *Laym. l. 4. tracl. 3. c. 5. n. 3. dicto 2. Barb. in Collect. cit. c. 2. de probat. n. 48.* Imò neque in causis non famosis, sed magnis, & arduis. *Masc. cit. concl. 956. n. 30. Gail. lib. 2. obs. 94. n. 8.* & alii communiter: quæ autem illæ sint, Judicis arbitrio decidendum relinquitur. *Mench. l. 2. de arbitr. Jud. caste 72. n. 10. Masc. c. l. n. 31.* Quamvis etiam, si lis sit de magna quantitate, vel causâ aliâ magnâ, & arduâ, iuramentum in supplementum probationis quandoque admittatur. Veluti primò, si Actor plûs, quàm semiplenè probavit. *Masc. c. l. n. 23.* Secundò, si tantùm de momentaneâ possessione quæstio sit, hæc enim exigui præjudicii est; secus, si de possessorio ordinario. *Mench. c. l. n. 18.* Tertio is, qui de mendaciò, vel perjurio antea convictus fuit, in aliâ causâ, et si magnâ, pati debet, ut contra ipsum juretur, in supplementum probationis, si aliâ adminicula contra illum concurrant. *Masc. c. l. n. 32.*

XCVII. Excipiuntur tertio Causæ matrimoniales, in quibus regulariter non est locus iuramento suppletorio; ut docet *Gl. in c. Mulieri; 34. V. Absolutio; h. t. Mascard. c. l. n. 43. Gail. cit. obs. 94.* & alii communiter: quia matrimonium inter causas graves, & arduas censetur; & criminali, quoad probationes, comparatur; quandoquidem quodammodo statum hominis concernit, & individua illa vita societatis speciem quandam servitutus habet; cùm vitæ non habeat potestatem sui corporis, sed mulier, & è contrario. *Gail. c. l. n. 6. & 7.* Verumtamen interdum etiam in favorem matrimonii à Jüdice iuramentum, in supplementum probationis, Actori petenti, qui semiplenè probavit, deferri potest, si probitatis opinionem apud omnes habeat, sitque integritate conspicuus, & inferiorem se, vel certè parem in matrimonio petat; ut docet *Abb. in cit. c. Si mulieri; n. 6. Gail. c. l. n. 12.* Contra verò si agatur de dissolvendo matrimonio contracto, ob aliquod impedimentum, non potest, in defectum plenæ probationis, à Jüdice iuramentum deferri agentì contra matrimonium. *Abb. c. l. n. 7. Gail. c. l. n. 11. Laym. c. l. nam arduum omnino est, ut matrimonii dissolutio religioni conjugis negantis, esse contractum, permittatur, sed plenæ probationes de impedimento requiruntur. Idemque quoad hoc est de matrimonio spiritali, sive professione Religiosa. Abb. c. l. n. 8. nam validum est argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, & à pari procedunt. Gail. c. l. num. 16.* Quamquàm *Abbas c. l. n. 7.* ait, etiam, quando agitur de matrimonio, sive carnali, sive spiritali dissolvendo, iuramentum suppletorium deferri posse, si persona, quæ impedimentum, v. g. violentiæ sibi illatæ, allegat, honesta sit, & præter probationem semiplenam, v. g. unius testis omni exceptione majoris, alias præsumptiones valde urgentes pro se habeat.

Porò ad causas arduas, sive magni momenti pertinent etiam causæ feudales, statûs, & spirituales, sive beneficiales, si modò de ipsiis beneficiis, non de fructibus tantùm beneficiorum controversa sit, ac proinde in iis etiam iuramentum suppletorium non habet locum, & universim in omnibus, in quibus jura plenas, & indubitatas, ac evidentissimas requirunt probationes. *Masc. c. l. n. 43. & 44.* plures ca-

sus in specie, in quibus iuramentum, in supplementum probationis, deferri non potest, enumerat *Barb. in cit. c. 2. n. 17. & seqq. de probat.*

S. IV.

An non solum ad petitionem partis, sed etiam, eâ non petente, iuramentum suppletorium deferri possit à Iudice? & de tempore, quo illud deferendum est.

XCVIII. Assertio prima. Jüdex non tantùm ad instantiam partis litigantis, quæ semiplenè probavit; sed & ex officio suo, eoque non implorato, seu parte non petente, potest iuramentum suppletivum deferre, imò, & debet alteri parti, si sit expedito, & æquum esse, judicaverit. *Abb. in cit. c. ult. §. Sanè; n. 15. h. t. Gail. lib. 1. obs. 108. n. 4. Mascard. cit. concl. 956. n. 47.* Idque sumitur ex *cit. c. ult. §. Sanè; & l. In bone; §. C. De reb. credit. & l. Admoneudi; 31. ff. h. t. in quibus locis dicitur, Jüdicis in causis dubiis, inopiâ probationum, iuramentum deferre solere, & secundùm eum, qui juravit, pronuciare. Ratio est; quia Jüdex cuncta rimari, & pro veritate eruendâ modis omnibus laborare debet. *Judicantem; 11. caus. 30. q. 5. l. Indices; 9. C. De Indic. & quocumque æquitas postulat, potest litigantes interrogare in Jüdicio. l. Ubicumque; 21. ff. De interrog. in jure faciend. ergo etiam iuramentum parti deferre potest, ut veritate cognitâ, justè judicet, & petere ab altero ex litigatoribus, an per iuramentum assinnare velit, verum esse, quod ipse in Jüdicio contendit. Idque procedit, etiam si pars litigans ne quidem ab initio Jüdici officium imploraverit per adiectam clausulam in libello: *peto mihi jus, & justitiam administrari;* ut contra *Abbat. tradit Masc. c. l. n. 48.* quia Jüdici ex legum præscripto incumbit, ut motum animi sui informet ex his, quæ in jüdicio deducta sunt, & si quod dubium supersit, illud ex officio per interrogationem, aut alios modos suppleri, & tolli curet. *l. Indices; 9. & Auth. Iubemus C. De judic. Nihilominus tamen etiam pars litigans petere potest, ut iuramentum suppletorium deferatur: neque enim per hoc reddit se litigans suspectum; quia id petit, lege permittente, ut causæ dubiæ, ob inopiam probationum, jurejurando decidantur, nec præsumitur pejerationis, cui defertur. *Fach. l. 1. controv. c. 16. in fine.****

XCIX. Assertio secunda. Pars litigans, ante conclusionem in causa, potest, ac debet petere declarationem juramenti suppletorii, et si testes amplius produci non possint, sive quia terminus, ad probandum præfixus, elapsus est, sive quod attestations fuerint publicatæ; ut docent communiter DD. *Legistæ, & Canonistæ apud Mascard. c. l. n. 50.* Nam quòd cognitis attestationsibus, alii testes produci nequeant, id propter probabilem subornationis timorem receptum est: in proposito verò periculum petentem cessat, eò quòd iuramentum hoc non nisi personis vitæ integritate conspicuis, & quorum causa quæsipto veritate habetur, deferri debet. Post conclusio-

tionem verò in causa, non potest pars litigans petere iuramentum sibi deferri; quia publicatis attestationibus, ceterisque causâ meritis examinatis, pars scire potest, aut debet, utrùm intentionem, vel defensionem suam plenè probaverit: ideòque ante conclusionem in causa, officium Iudicis implorare potest, ac petere, iuramentum sibi deferri: id verò si negligat, scire debet, jura vigilantibus, non dormientibus scripta esse. *l. Pupillus; 24. in fine. ff. Quæ in fraudem credit.* Accedit, quòd partes in causa concludendo, omnibus ulterioribus probationibus renunciant: ideòque per conclusionem partibus os claudi vulgò dicitur. *c. Cum dilectus; 9. & c. seq. de fide instrum. Gail. c. l. n. 2. Masc. c. l. n. 50.* Quamvis contrarium teneat, post Salicium *Fachin. l. 1. c. 17.* nempe, quòd etiam post conclusionem in causa, litigatores petere possint, ut deferatur iuramentum; sed prior sententia est communis.

Ceterùm aliud dicendum est quoad Judicem, qui, quocumque æquitas postulat, in jure potest interrogare; ut suprâ dictum: ideòque non solum ante, sed etiam post conclusionem in causa, iuramentum necessarium, seu suppletorium, etiam parte non petente, ex officio deferre potest; quia in ordine ad ipsum nunquam in causa concluditur. *Gail. c. l. n. 5. Masc. c. l. n. 53. & 57. Fachin. c. l.*

Postremò illud hic addendum, si iuramentum hoc in prima instantia, neque peritum, neque à Judice delatum sit ex officio, postea in causa appellatōnis peti, ac deferri potest. *Gail. c. l. n. 9. Masc. c. l. n. 54.* Nam etiam ad hoc appellatio inventa est, ut prius non deducta deducatur, non probata probentur: non autem in eum tantum finem, ut iniquitatem judicantium, vel imperitiam corrigat, & emendet; prout loquitur Jurisconsultus in *l. 1. in princ. ff. De appellat.*

§. V.

Quando, & in quibus causis Iudex possit ex officio a partibus exigere iuramentum de dicenda veritate?

C. Ad hanc quæstionem responderetur, in causa usurarum, vel alia simili, in qua vertitur periculum animæ, seu peccati, potest Iudex in qualibet parte litis, ex officio suo, deficientibus aliis probationibus, & si adsint præsumptiones aliquæ, exigere iuramentum de dicenda veritate à partibus præstandum, cogendo eas ad id censuris Ecclesiasticis, appellatione remotâ; prout sumitur ex *c. Ex litteris; 32. h. t.* ubi talis casus proponitur. Quidam G. nomine debitor impetravit à Sede Apostolicâ litteras ad Iudices delegatos contra E. creditorem, ad usuras sibi restituendas: in processu litis Iudices ex depositionibus testium productorum ex parte G. debitoris, non poterant sufficienter colligere, quanta fuerit fors, seu summa mutudò data, quamvis constaret de obligatione pignoris, sive de terra hypothecæ loco obligatâ ipsi creditori E. atque insuper ex fama quasi notorium erat, quòd E. creditor ex eadem

terra titulo pignoris ipsi obligatâ sortem capitalem, & amplius accepisset. Cum igitur Iudicibus expedire videretur, ut à partibus exigere iuramentum de dicenda veritate, mandavit Papa Innocentius III. ne occultatâ veritate, justitia succumbat, ut partes ad huiusmodi iuramentum præstandum per censuram Ecclesiasticam, remotâ appellatione, cogantur.

CI. Pro intellectu huius c. Notandum primò, Fama, etiam publica, & communis, non facit notorium, nec plenam probationem, nisi aliæ præsumptiones, seu adminicula concurrant; quia fama sæpe fallit; ut colligitur ex hoc c. in quo fama spargebat, ex fructibus perceptis, & pignore satisfactum esse creditori, & tamen non sufficiebat ad plenam probationem. *Abb. hic n. 2. & 3. Alex. de Nevo n. 4.*

Notandum secundò, Iuramentum de veritate dicenda, sicut & iuramentum calumniæ, licet ordinariè in principio litis exigendum sit, si tamen non fuerit tunc exactum, potest postea, in qualibet parte litis, etiam in fine causâ exigi. *c. 1. de juram. calum. in 6.* quia hic ordo non pertinet ad substantiam processus Judicarij, ut ab initio exigatur, vel præstetur, utrumque hoc iuramentum. *Abb. hic n. 2. & 3. Alex. de Nevo n. 9. & 10.* Verumtamen etiam si iuramentum de dicenda veritate ab initio litis non sit præstitum, non tamen potest Iudex postea illud exigere à partibus, si causâ sit notoria, vel plenè probata in Iudicio per testes, vel confessionem partis; quia id esset superfluum; quando verò non est plenè probatum in Iudicio; tum potest exigi ab utraque parte iuramentum de dicenda veritate, tamen si ab initio non fuerit peritum, nec præstitum. Et hic est verus intellectus huic c. ut tradit *Alex. de Nevo hic n. 43.* quod se fundat non in eo, quòd iuramentum hoc ab initio non sit exactum, sed quia veritas non fuit plenè probata.

Notandum tertidò, Quamvis aliqui intelligant hoc c. quòd loquatur de iuramento deferendo, in supplementum probationis; quia fama faciebat semiplenam probationem: tamen hæc expositio non congruit litteræ: non enim hic agitur de iuramento litis decisivo, post quod nihil aliud quæritur, sed de iuramento de dicenda veritate, quod non defertur ad decidendam litem; sed exigitur ab utraque parte litigante, ad inquirendam veritatem, ut de ea plenè constet. *Abb. hic n. 5. Alex. de Nevo n. 44.*

SECTIO III.

DE INTERPRETATIONE Iuramenti.

§. I.

Quomodo interpretandum sit iuramentum?

CII. Assertio prima. Quoad obligationem suam strictè interpretari oportet, quantum materia, circa quam versatur, & verba pacti, seu promissionis, cui adjicitur, permiserint. *Abb. in c. pen. n. 2. h. t. Silvest.*

Silvest. *V. Juramentum*; 3. q. 3. & *V. Juramentum*; 4. q. 23. *Suar. lib. 2. de juram. c. 32. n. 7.* & alii DD. communiter. Ratio est; quia, ubi de obligatione agitur, stricta fieri debet interpretatio, juxta *l. Quidquid*; 99. ff. *De V. O.* & odia, seu onera restringenda sunt. *Reg. jur. 15. in 6.* obligatio autem juramenti valde onerosa est: & quia hæc obligatio ex intentione jurantis pendet; verisimilius est, voluisse se obligare, quàm minimum potuit. Neque hoc repugnat favori juramenti; quia hic solum consistit in eo, ut veritas servetur, sive, quod juratum est, impleatur, quod fieri potest sine ampliacione, & restrictiōne verborum, si id, quod sub juramento promissum est, in eo sensu impleatur, in quo prolatur est juramentum. Neque etiam pertinet ad reverentiam juramenti, ut ad plura obliget, & extendatur: imò, quòd fuerit benignior, & strictior interpretatio juramenti, eò frequentius servabitur, & magis vitabitur perjurium, quod ad illius reverentiam magis spectat, ut rectè notavit *Suar. c. l. n. 9.*

CIII. Hinc infertur primò. Juramentum generaliter editum à Prælatiis, Canonicis, vel etiam laicis Rectoribus, & Officialibus locorum, servandi statuta, & consuetudines Ecclesiæ, vel loci, non extendit se ad statuta, & consuetudines illicitas, vel impossibiles, vel Ecclesiæ libertati repugnantes, sed intelligitur tantum conceptum de licitis, & honestis; prout deciditur in *c. Contingit*; 1. h. t. in 6. Nam in quibusdam locis consuetudo viget, ut Prælati ad Ecclesiarum administrationem non admittantur, nec novi Canonici ad Canonicat^o recipiantur, nisi prius jurent, se statuta scripta, & non scripta, vel consuetudines ipsarum Ecclesiarum inviolabiliter observaturos. Idemque mos invaluit inter laicos in multis civitatibus, castris, & terris, ut Potestates, Rectores, & Officiales, ad Rectorias, & officia non assumantur, nisi prius jurent, quòd statuta locorum (quæ non sunt illis prælecta, sed clausa exhibita) servare velint. Quia verò in iis statutis, & consuetudinibus interdum illicita quædam reperiuntur, aut impossibilia, vel adversantia Ecclesiasticæ libertati: idèò Papa Nicolaus III. ne sic jurantibus occasio peccandi præbeatur, cum juramentum non fuerit institutum, ut esset vinculum iniquitatis, præcipit; ut, si qui scientes, talia in prædictis statutis, & consuetudinibus contineri, jurent, eà intentione quòd etiam illicita, & impossibilia (de jure, vel de facto, *Gl. hic V. Impossibilia*) vel libertati Ecclesiasticæ adversantia servare velint; nequaquam talia juramenta facta, vel faciendâ servant: nec iis obligantur, cum non possint præstari, absque offensa Divinæ Majestatis: quòd si talia juramenta aliqui ignorantes præstiterint, ad licita tantum possibilia, & Ecclesiasticæ libertati non contraria observanda, jurantium intentio referri debet. Quare declarat idem Pontifex, quòd juramenta sic generaliter præstita, vel præstanda ad illicita se non extendant, neque jurantes obligent, sed tantum ad statuta, & consuetudines licitas, & honestas.

CIV. Notandum primò. Si quis generaliter juravit servare statuta, & consuetudines alicuius loci; tunc vel scivit, inter illa esse etiam statuta quædam illicita, vel consuetudines irrationabiles, & ju-

ravit, eo animo, ac intentione, quòd etiam illicita servare velit; & tale juramentum est temerarium, & illicitum, neque obligat ad observandum, cum juramentum non possit esse vinculum iniquitatis, neque obligatorium contra bonos mores præstitum. *Reg. jur. 18. in 6.* & talis, latè loquendo, committit perjurium: unde propriâ auctoritate potest quis contra tale juramentum agere, sine alia absolucione, saltem si certum sit, juramentum esse temerarium, & illicitum. *Franc. hic n. 4. & 7.* Vel nescivit quis, statuta quædam esse illicita; & tunc jurando non peccavit, & obligatur solum ad servanda statuta licita, & honesta: adeoque juramentum tale, respectu illicitorum, non obligat, sed irritum est, quamvis quoad licita sit validum; quia utile per inutile non debet viciari. *Reg. jur. 36. in 6.* si separari possint. *Gl. hic V. Declaramus in fine.* Silvest. *V. Juramentum*; 4. q. 23. in dubio verò jurata simpliciter, & generaliter servare statuta, non presumitur comprehendere voluisse jurando etiam ea, quæ sunt illicita, sed solum, quæ licita sunt, & honesta. *Franc. hic n. 5. ubi n. 4. nor. 6.* ait, quòd potest quis se obligare ad observanda statuta, licet prius illa non viderit, nec legerit, sed clausa ei exhibitâ fuerint; ut colligitur ex hoc c. ibi: *statuta ipsorum locorum clausa juraverint.* Sibi que imputare debet, quòd non curaverit, prius illa aperiri, & legi. *Franc. hic c. l.*

Notandum secundò. Si quis, tempore receptionis suæ in Canonicum, juret, se statuta, & consuetudines Ecclesiæ servaturum, & postea impetret à Sede Apostolica privilegium contra statuta, vel consuetudinem illius Ecclesiæ, non censetur perjurus, & frui potest privilegio, non obstante juramento, si id proprio motu sit concessum; quia in quolibet juramento subintelligitur auctoritas Superioris excepta. *c. Venientes*; 19. h. t. & si res in eodem statu permanferit, sive mutatio non supervenerit. *c. Quemadmodum*; 25. eod. de quo infra; ut in proposito casu, nova licentia Superioris. Imò, etiam si privilegium huiusmodi concessum sit, ad instantiam jurantis, si tamen in eo clausula derogatoria adiecta sit, videlicet: Non obstantibus statutis, & consuetudinibus Ecclesiæ contrariis, etiam juramento, vel confirmatione Sedis Apostolicæ roboratis, juxta *c. Cum aliquibus*; 4. de *Rescript. in 6.* valet huiusmodi impetratio, ut tradit *Rota Rom. in decisionib. novis decis. 1. de juram. alias 294.* si verò talis clausula appositâ non sit in Rescripto, sive privilegio concessò ad instantiam jurantis, neque in impetratione mentio facta sit, quòd privilegium adversetur statuto juramento confirmato; tunc impetratio, & concessio talis privilegii subreptitia censenda est, ob taciturnitatem veritatis, juxta *c. Super litteris*; 20. de *Rescript. quæ si expressa fuisset, Papa privilegium non concessisset, vel saltem non tali modo; ut docet Franc. hic n. 10. in fine. & Laym. lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 19.*

CV. Infertur secundò. Juramentum præstitum servandi statuta edita alicuius Ecclesiæ, Civitatis, vel alterius Communitatis, non potest extendi ad statuta postea edenda; prout statuitur in *c. Clericus*; 31. h. t. nam quidam Clericus juravit, se statuta in Ecclesia sua edita servaturum, sed postea promisit per idem, quod antea præstitit juramentum, se servaturum statuta, quòd postmodum editum erat. Ad hunc casum respondit Papa Gregorius IX.

IX. licet is non debuerit transgredi, quod promissum sit (nempe simpliciter promissione servandi statutum posterius editum) non tamen tenetur ad illius observationem ex debito, seu obligatione prius præstiti juramenti. Ratio decisionis est; quia, cum iurata sint incerta, & dubia, non est verisimile, jurantis intentionem ad ea extendi, de quibus non cogitavit tempore præstiti juramenti, & quæ postea præter intentionem illius accidunt. Idemque est, si quis simpliciter juret, se servaturum statuta, non addendo, jam edita: non enim extenditur juramentum ad statuta postea edita, vel edenda, si jurantis intentio ad illa non extendatur; quia juramentum, ob periculum perituri, & damnationis, quod sequi potest, stricti juris, & interpretationis est, ut non comprehendat id, quod verba late significant. *Abb. in cit. c. pen. num. 1. & 2. h. t. Silvest. V. Juramentum; 4. q. 23. Azo p. 1. lib. 11. c. 8. q. 7. Suar. cit. c. 32. n. 11. Sanch. l. 3. moral. c. 14. n. 1. & c. 17. n. 20.*

CVI. Excipitur primò. Nisi promittens simpliciter, se servaturum statuta postea edita, vel edenda, intentionem habeat jam denovo jurandi, ita, ut, sicut prius juraverat, se servaturum statuta jam edita; ita nunc jurare velit, se servaturum statuta postea edita, vel edenda, & secundum formam expressam in priore juramento: tunc enim obligatur, non ex vi prioris juramenti, cuius obligatio non potest extendi ultra limites sui obiecti, sed ex vi novi, ac posterioris; quia aliud juramentum præstitit simile priori. *Abb. c. l. Sanch. cit. c. 17. num. 21. & alii supr. cit.* Simile est, si quis vovit, se omnibus diebus Veneris jejunaturum, non potest nudâ suâ voluntate, seu solo consensu efficere, ut obligatio voti prioris extendatur etiam ad dies Sabbati, cum de his vovens tunc nihil cogitavit: potest tamen aliud votum edere, vi cuius se obligare velit ad jejunandum omnibus diebus Sabbati; sicut antea se obligavit ad jejunandum singulis diebus Veneris.

Excipitur secundò. Nisi post juramentum servandi statuta jam edita, postea novum statutum ederetur solum ad declarandum statutum aliquod vetus, & jam editum; vel ad declaranda, quæ in antiquo statuto sunt tacita: tunc enim prius juramentum extenderetur etiam ad tale statutum postea editum; quia non est novum statutum, sed idem cum antiquo. *Sanch. cit. c. 14. n. 1.*

Hinc ulterius infertur, quodd, qui juravit servare statuta facta, seu edita, non obligetur, vi illius juramenti, servare statuta usu non recepta, vel per legitimum consuetudinem abrogata, vel revocata per Superiorem, potestatem revocandi habentem. Ratio est; quia ea non habent amplius vim statuti, neque jam obligant, & consequenter neque juramentum, quod illis fuit accessorium, quatenus statuta erant obligatoria, amplius obligat. *Silvest. & Suar. locis cit. Sanch. cit. c. 14. n. 8. & duobus seqq.*

CVII. Assertio 2. Juramentum præstitum citra materiam juris, sive ea, quæ jus concernunt, intelligendum est, secundum Juris communis dispositionem, & ad illam restringendum est, neque ultra extendendum. *Gl. in c. 1. V. Declaramus; h. t. in 6. Silvest. V. Juramentum; 3. q. 3. Suar. l. 2. de juram. c. 32. n. 12. in fine. Laym. lib. 4. tract. 3. c. 9. n. 2. Idque sumitur ex c. Ad nostram; 21. h. t. ubi habetur, quodd Archi-*

episcopus Neapolitanus quasi per extorsionem, sive coactionem (fortasse ad instantiam Capituli sui, vel populi; ut notat *Gl. magn. hic*) juramentum edidit, quod in omnibus causis judicarium ordinem observare velit; cum autem secundum Canonicas sanctiones, & Ecclesiasticas traditiones, in notoriis, seu manifestis ordo judicarius observandus non sit, qui in aliis observari debet, non est credibile, quodd Archiepiscopus sic jurando voluerit, seu intenderit se obligare ad agendum contra Canones: alioquin enim non juramentum edidisset, sed perjurium, quod nullâ ratione observandum esset. Quapropter Innocentius III. juramentum hoc benignius interpretari volens, respondit Archiepiscopo ratione juramenti sui, in causis manifestis, seu notoriis Ordinem judicarium servare non esse obligatum. Imò, si penitus res consideretur, cum juravit, se Ordinem judicarium servaturum, videri posset, eum ex juramento potius obligatum esse ad non servandum in causis manifestis, seu notoriis Ordinem judicarium, quippe, qui in dictis causis secundum Jus commune non per omnia observatur. Verum planior, & facilius explicatio est, quodd Archiepiscopus iurare voluerit servare Ordinem judicarium in omnibus causis, videlicet illis, in quibus de iure observari debet. Et secundum hunc intellectum Archiepiscopus, & juramentum servabit, & à Canonicis sanctionibus non recedet.

CVIII. Notandum primò. Dupliciter potest exponi hoc c. ut tradit *Gl. magna hic, & Abb. in princ.* Primò, ut juramentum Archiepiscopi non extendatur ad causas notorias, sed secundum subiectam materiam intelligatur, videlicet, ut in causis non notoriis observetur ordo judicarius; in notoriis vero non servetur per omnia, sive ex toto; quia in extraordinariis ordo est, ordinem non servare. Secundò, ut juramentum referatur ad causas, in quibus ordo judicarius est servandus: nam, si Archiepiscopus edidisset juramentum servandi Ordinem judicarium, in omnibus indistinctè causis, non fuisset iuramentum, sed perjurium, sive temerarium, illicitum, & irritum, quippe contra SS. Canones præstitum. Et hæc posterior expositio est planior, & facilior. Et hinc colligitur Primò, quodd in dubio iuramentum benigne interpretari debeamus, ita, ut licitè, ac validè editum sit. *Gl. hic in notat. & habetur etiam in c. Cum tu; 16. de testib.* Secundò, Juramentum Episcopi contra SS. Canones editum est temerarium, illicitum, & irritum; quia, sicut Episcopi nihil possunt statuere contra Canones, ita nec pacto, vel iuramento promittere. Tertid, verba generalia non semper accipienda sunt generaliter, sed interdum restringenda secundum materiam subiectam. *Gl. mag. hic in notat. & V. In illis.* Quartò, in notoriis causis ordo iuris servandus non est ex toto, sed solum ex parte: nam requiritur citatio Rei absentis, nisi factum sit ita notorium, ut nullâ tergiversatione negari possit, nec ulla Reo defenso competere: requiritur etiam sententia, sed non solemnitas, nec in scriptis, sed sufficit iudicis præceptum de exequendo, quod est instar sententiæ. *Abb. hic n. 4.*

Notandum secundò. Etsi videatur licitum iuramentum de processu, seu ordine iudicario in causis notoriis servando; quia aliquando is licitè, & sine pec-

caro in his causis servari potest, v. g. ad vitandum scandalum, & ad cautelam, maioremque securitatem; uti factum est in casu. *c. Bone*; 23. *de elect.* non tamen in omni causa notoria ordo iudiciarius servari debet; id enim esset illicitum, & SS. Canonibus adversum; quia frequenter jus Actoris læderetur, cui imponeretur onus probandi, & tamen res sit notoria: & disciplina iudicialis, ac publica iustitia dissolveretur, si Judex non posset punire delicta notoria, nisi prius probarentur; cum tamen nullæ sint validiores probationes, quam per facti evidentiam: & sic quandoque crimina manerent impunita; ut notat *Gl. hic V. Requirit; junctâ Gl. marg. lit. C.* Ex quo inferitur, quod etiam juramentum de servando processu iudiciario in omnibus causis notoriis sit illicitum, & irritum; quia vergeret in periculum, ac dispendium salutis æternæ. *Abb. hic num. 8.*

Similiter, licet Judex, partibus etiam invitis, in causis non notoriis, de quibus mentio fit in *Clement. 2. de Judiciis*; possit quandoque ordinem, seu processum iudiciarium servare; cum ibi solum dicatur, quod in illis causis summarie, sine strepitu iudiciali, procedi valeat, non autem, quod debeat: non tamen potest Judex ad id juramento se obligare, ita, ut id semper facere debeat; quia id repugnat potestati à Jure, ob bonum publicum, ipsi concessæ. *Abb. hic num. 8.* ubi etiam addit, quod causæ leviores, quæ suapte naturâ summarie, ac celeriter expediendæ sunt, per processum ordinarium non debeant prorahi.

Porrò ex dictis resolvitur, quid sit dicendum illam quæstionem, an, si quis juravit, quod iterum nolit carnaliter cognoscere concubinam, ossit illam postea ducere in uxorem, non obstante juramento? Et respondetur affirmativè, *cum Gl. fin. hic.* quia juramentum hoc debet intelligi de concubitu illicito, & fornicario, non de licito, & legitimo.

§. II.

Alia quadam regula traduntur circa interpretationem iuramenti.

CIX. Assertio 1. Juramentum generaliter bonâ fide, & sine dolo præstitum, est interpretandum secundum intentionem jurantis, neque extendendum est ad incognita, sive ad ea, de quibus jurans in specie non cogitavit, nec merito cogitare debuit, & quæ, si in mentem venissent, verisimiliter non promississet, sed excepisset. *Gl. in c. Veniens; 16. V. Præscivisset; h. t. Silvest. de Juramentum; 3. q. 2. & V. eod. 4. q. 6. Aror. p. 1. lib. 11. c. 11. q. 3. Suar. lib. 2. de juram. c. 11. n. 12. Sanchez. lib. 3. in præcept. Decal. c. 17. n. 1. Laym. cit. c. 9. n. 3. & alij.* Idque probatur primò ex *c. Veniens; 16. h. t.* Ubi talis casus proponitur: Alanus verbis contendit cum quodam, pluribus sibi invicem illatis convitiis, & cum exinde graves inimicitie essent ortæ, quidam volentes eos ad pacem, & concordiam reducere, suggererunt *q. Alano*, ut pro satisfactione iniuriarum, juraret,

se Venetorum quorundam mandato obediturum, quod ipse fecit, fiducia nixus, non se aliquid commisisse, ob quod grave quidpiam sibi imponendum esset: sed cives illi mandarunt: ut Ducis Venetiarum Curiam nunquam intraret, nisi cum omnes per generale Edictum ad Curiam vocarentur. Verum, quia Alanus dicti Ducis Consiliarius erat, & multarum Ecclesiarum Advocatus, quibus ipse in iudicio patrocinium præstare tenebatur, nunquam tale juramentum edidisset, si eiusmodi mandatum suæ obligationi contrarium præscivisset: Idcirco Papa Innocentius III. mandavit Patriarchæ Grandenensi, ut, si hoc posterius juramentum priori juramento licitè factò cognoverit esse contrarium, Auctoritate Apostolicâ declaret, illud servandum non esse. Ratio decisionis est; quia juramentum de parendo mandato alterius intelligi debet, si mandata, quæ iusta sunt, licita, & honesta, nec nimis ardua, seu gravia, & quæ sine præiudicio alterius impleri possunt; ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 98. a. 2. ad 3. Gl. hic V. Præscivisset.* Confirmatur; quia transgrediens primum juramentum licitum graviter peccat: & consequenter secundum juramentum, quod est contrarium primo, est illicitum, nec obligat; quia inducit ad peccandum.

CX. Hinc inferitur primò. Si quis obligatus sit alicui ad dandum, vel faciendum aliquid, ut si v. g. puella promisit matrimonium per sponsalia, etiam non jurata, & postea cum alia puella contrahat sponsalia jurata, juramentum subsequens priori promissioni, etiam non jurata contrarium, irritum est; quia est de re illicita: juramentum enim non potest esse vinculum iniquitatis. *Abb. hic n. 5. in fine.* Neque obstat hoc c. ubi Pontifex ait: juramentum illud de parendo mandato alterius non esse servandum, eò quod mandatum illud priori juramento licitè factò repugnet: nam hic tantum narratur factum, & juxta illud Pontifex respondit non autem per hoc insinuat, quod sola simplex promissio, sine juramento, non fuisset sufficiens ad irritandum posterius juramentum ei contrarium; quia non implere simplicem promissionem obligantem in conscientia, sive ex iustitia, sive ex libertate, est peccatum, & illicitum: ergo jurare, quod illam nolit implere, vel aliquid contrarium priori promissioni, est jurare peccatum, & illicitum: adeoque non potest tale juramentum obligare. *Abb. c. l. Suar. lib. 2. de juram. c. 19. num. 10. & 12.*

Inferitur secundò. Qui juravit parere mandato alicuius, si ei præcipiatur aliquid, quod non advesetur priori juramento; adeoque quod possit sine periculo animæ, & peccato servari; si tamen sit ita grave, de eo jurans non cogitaverit, nec merito debuerit cogitare; vel grave detrimentum inferat in temporalibus rebus: tale juramentum non obligat, nec est opus relaxatione; quia hoc casu deest voluntas se obligandi, quæ ad intrinsecam rationem iuramenti requiritur, & juramentum non extenditur ultra consensum, & intentionem jurantis. *Abb. hic n. 5.*

Inferitur tertio. Si Clerico, qui generaliter juravit quod stare velit omni mandato Episcopi, & non appellare, Episcopus præcipiat, ut renunciet beneficio,

ficio,
peller,
quia ju
de illo
scopus
concedi
rament
nisi ad
5. Ego
C.

& regu
" filia
" & co
" one
" vel a
" to, l
" man
" verb
" ret f
" debe
" 111.
" fuisset
" inde
" illud
" raval
" veri-

R
dum, q
rere ma
ci. c. 1
iure no
nam ju
ter; 22.
cite exh
sa in iu
Auth. V.
115. O
heredita
filijs om
ut. de i
sine legi
movere
28. q. 1.
quare ta
etiam p
non pot
lius; qui
prehend
si non p
num. 2.

V
licitè co
partem
c. collig
in arbit
fit offic
pronunc
num. 1.
de arbit
Decret.

C.
" t. ub
" Antio
" nes f

ficio, de quo contröversia erat, neque super eo appellet, potest is, non obstante juramento, appellare; quia juramentum ad illud non extendebatur, cum de illo jurans verisimiliter non cogitaverit: nec Episcopus potuit ei denegare beneficium iure communi concessum; ideoque iniquum fuit præceptum, & juramentum tale de parendo mandato non extenditur, nisi ad licita, rationabilia, & honesta, *Abb. hic num. 5. Fagn. num. 19.*

CXI. Probatur secundò suprà dicta assertio, & regula ex *c. Quintavallis*; 23. *h. t.* ubi habetur, quòd filia Quintavallis alijs mulieribus multas iniurias, & contumelias irrogarunt, pro quarum satisfactioe ipse pater iuravit, se parere velle mandato, vel arbitrio mulierum offensarum, quæ sub debito, seu obligatione juramenti, tale ipsi iniunxerunt mandatum, ut, si eius filia, vel uxor facta, vel verbo ipsas contumeliâ imposterum affecerint, pater filias exheredare, uxorem verò à se dimittere deberet. Super hoc consultus Pontifex Innocentius III, respondit: juramentum Quintavallis licitum fuisse, sed mandatum mulierum illicitum; ac proinde ipsi iniungendum esse, ut revocent mandatum illud: alioquin denunciandum esse, ipsum Quintavalle ad mandati illius observationem non tenentem.

Ratio decisionis est; quia non est præsumendum, quòd quis generaliter iurando, se velle parere mandato alterius, voluerit se obligare ad illicita, *cit. c. Veniens*; 16. *h. t.* ad quæ, etiam voluisset, de iure non potuisset se obligare, nempe ad illicita: nam juramentum non est vinculum iniquitatis. *c. Inter*; 22. *caus. 22. q. 4.* At verò non potest pater licite exheredare filium, vel filiam, sine legitima causâ in iure expressa, cuiusmodi causâ recensentur in *Auth. Vt cum de appellat. cognosc. c. 3. collat. 8. Nou. 115. c. à Gl. hic V. Exheredare*; cum legitima portio hereditatis, sicut & competentia alimenta necessaria filijs omni iure debeantur, *Princ. §. Sed hæc; Institur. de inoffic. testam.* Sed neque vir uxorem suam, sine legitima, gravique causa, à se dimittere, vel removere potest. *Marth. c. 19. c. Idololatrya*; 5. *caus. 28. q. 1. c. Quos Deus*; 18. *caus. 39. q. 2. Gl. hic V. eod.* quare tale mandatum ipso iure est irritum; adeoque etiam pactum, & iuramentum de parendo eidem non potest obligare iurantem ad observationem illius; quia sub juramento generaliter edito non comprehenduntur illicita, & quæ sine peccato observari non possunt. *S. Thom. cit. q. 98. a. 2. ad 3. Abb. hic num. 2.*

Vbi præterea obiter notandum, quòd potest licite compromitti pro satisfactioe iniuriæ etiam in partem adversam, quæ iniuriam passa est; ut ex hoc colligitur, imò etiam in feminam, non tanquam in arbitram, quæ sustineat partes Iudicis, cum hoc sit officium virile; sed tanquam in arbitratricem, quæ pronunciet, secundum quod æquum est. *Abb. hic num. 1. c. 2.* Verum, quæ hoc loco DD. tradunt de arbitris compromissarijs, spectant ad *tit. ult. lib. 1. Decret. de quibus ibid.*

CXII. Probatur tertio ex *c. Petitiõ*; 31. *h. t.* ubi talis casus proponitur. Vacante Ecclesiâ Antiochenâ, Princeps civitatis timens conspirationes fieri contra se, à Canonicis Antiochenis juramentum extorsit, quòd contra ipsum deinceps agere nolint, Vnde Canonici dubitarunt, an vi huius juramenti impediti essent, quò minus iura Ecclesiæ suæ contra Principem tuerentur? Declaravit Papa Innocentius III. Canonicos tali juramento non ita teneri, quin pro iuribus Ecclesiæ suæ, imò etiam proprijs, ac singularibus legitime defendendis, contra Principem libere stare possint: sed quòd vi juramenti solùm ipsis abstinendum sit ab omni machinatione, per quam læsio personæ Principis inferretur, vel, quæ tenderet in amissionem Principatus eius.

Ratio decisionis est; quia juramentum generaliter conceptum, & præstitum non debet extendi ultra intentionem iurantis, quatenus ea ex causa, sive occasione iurandi, materiâ subiectâ, & adiunctis colligi potest: huius autem iuramenti occasio fuit timor conspirationis; ideoque juramentum petebatur à Canonicis, non ut iuribus suis, vel Ecclesiæ tenerent, sed ne iniuste læderent Principem, conspirando contra illum: ac proinde juramentum hoc restringendum est duntaxat ad conspirationem adversus personam, vel dignitatem Principis: non autem extendendum est ad non defendendas contra Principem res suas, ac proprias; quia non est verisimile, quòd quis velit se juramento obligare ad negligendam rerum suarum defensionem, cum nemo præsumatur velle suum iactare. *l. Cum de indebito*; 25. *post princ. ff. de probat.* multò minus extendi debet ad non defendendas res Ecclesiæ; quia hoc esset illicitum. *Arg. c. 2. h. t.* nemo autem potest, nec debet per juramentum ad illicita se obligare. *c. Quantos*; 8. *h. t.*

CXIII. Ceterum, si in casu huiusc. Canonici illi pro iuribus suis egissent contra Principem in indicio, indeque inimicitia orta fuisset, tum, si iurassent, se deinceps non acturos contra Principem, juramentum illud ita extendi, & intelligi deberet, quòd obligare se voluerint ad non agendum contra Principem, etiam pro iuribus suis defendendis, pacis servandæ causâ; quia tunc talis intentio ex occasione iurandi, & subiectâ materiâ colligi potuisset; & huiusmodi juramentum obligaret, quamvis relaxatio ipsius peti posset, si vi, vel metu, aur dolo extortum fuisset. *Abb. num. 4.* Vbi tamen dupliciter id limitat. Primò, quòd tale juramentum de non agendo contra Principem, etiam pro iuribus suis, intelligendum sit solùm quoad causas, & lites præteritas, & iam exortas; non autem extendendum sit ad lites futuras, seu orituras. *Arg. c. 2. de renunciat.* Secundò, quòd, si quis alteri iuret, se non acturum contra illum, in dubio non sit præsumendum, quòd etiam in propria causa agere nolit; quia hæc esset renunciatio iuris, sive donatio, quæ non præsumitur.

Ex dictis inferitur, quòd idem juramentum ex parte valet, & obligat, ex parte verò non valet, nec obligat; ut notat *Gl. hic V. Extorsit*; nam in casu huius c. juramentum editum à Canonicis, de non conspirando contra Principem, valet, & servandum est, quantum ad hanc partem, licet metu esset extortum; quia alias ex honestate, etiam sine juramento ad hoc tenerentur: in quantum verò præstitum est de non defendendis iuribus Ecclesiæ, non valet, nec servandum est; vel etiam de non defendendis iuribus proprijs, cum

cum ad hoc iuramentum se non extendat, nisi in casu supra excepto, in quo iuramentum etiam metu extortum servandum est; quia sine interitu, seu periculo animæ servari potest, donec relaxetur. *Gl. hic, & patet ex supra dictis.*

CXIV. *Assertio 2.* Iuramentum fortitur naturam, & condiciones promissionis, aut contractus, vel actus, cui adiungitur; adeoque etiam iuxta illas est intelligendum. *Covarr. in c. Quamvis; de pact. in 6. p. 1. §. 4. n. 1. Suar. lib. 2. de juram. c. 32. n. 2. Sanch. lib. 3. mor. c. 17. Laym. lib. 4. tract. 3. c. 9. n. 6. Castro Palao p. 3. tract. 14. dis. 2. p. 14. n. 4. & alij D. D. communiter.* Ratio est; quia iuramentum fit, iuxta intentionem iurantis; adeoque ad id obligat, quod quis intendit jurare: sed qui iurat, id intendit iurare, quod promittit, vel in contractum deducit, & eo modo, sive sub ea limitatione, vel conditione, sub qua promittit, vel contrahit: ergo iuramentum accommodatur promissioni, vel contractui, cui adijcitur, eiusque naturam, & condiciones fortitur, quoad materiam, sive id, quod iuratur, non autem quoad obligationem, sive effectum iuramenti; ut explicat *Suar. c. l. n. 5. & 6.* quia scilicet iuramentum adiectum promissioni, vel contractui non auget eius obligationem extensive, ita, ut vi iuramenti, non ad plus obligetur iurans, quam teneatur, vi promissionis, vel contractus, qui circa idem obiectum versatur: ideoque cessante obligatione promissionis, vel contractus, cessat etiam obligatio iuramenti; quia accessorium, quale est iuramentum, sequitur naturam principalis, cui adiungitur, iuxta *Reg. jur. 42. in 6. & corrumpente principali, etiam corrumpit, nec subsistit accessorium. l. Nihil; 109. ff. eod. auget tamen iuramentum obligationem actus, cui accedit, intensive; quia intra limites eiusdem obiecti, novam obligationem ex virtute Religionis ei superaddit. Laym. c. l. Quare si promissio, vel contractus hanc tacitam conditionem contineat, nisi notabilis mutatio postea superveniat, etiam iuramentum ipsi accedens, seu promissio iurata eam conditionem tacitam in se involvit: & ratio est; quia notabilis mutatio quasi aliud obiectum facit, ad quod ex verisimili presumptione promittentis, vel contrahentis, & consequenter etiam iurantis intentio non se extendebat. *Sanch. lib. 4. in precept. Decal. c. 2. n. 20. 21. & 22. Laym. c. l.**

CXV. Exemplum habetur in *c. Quamadmodum; 25. in princ. h. t.* ubi quaesitum fuit, utrum, si vir mulieri iuravit, se eam ducturum in uxorem, & postea mulier cum alio fornicetur, vir eam ducere debeat propter iuramentum? Respondit Innocentius III. quod non; argumento ducto à maiore ad minus: nam sicut, si vir contrahens matrimonium cum muliere, iurasset, quod ei ut legitime uxori semper cohabitare velit, ac postea uxor illa adulterium committat, dimittere eam non prohibetur (quoad torum, & cohabitationem) ita multò minus, si matrimonium nondum cum illa contraxit, sed tantum ducturum se mulierem, iuratus promissit, si postea cum alio fornicetur, eam ducere tenebitur. Ratio utriusque partis est; quia, sicut in priore iuramento subintelligitur talis conditio: si contra legem coniugij mulier non peccet: ita etiam in posteriore iura-

mento ea conditio subintelligi debet: si post contracta sponsalia, contra legem desponsationis mulier non peccet; quamvis ei non possit opponi fornicatio præcedens: alioquin, si post huiusmodi iuramentum, mulier publica meretrix fieret, teneatur vir eam ducere in uxorem, quod est profusum absurdum: constat enim, maius vinculum esse matrimonij contracti, quam non contracti, sed contrahendi: si ergo post contractum matrimonium, vir licite potest uxorem dimittere, quoad torum, & cohabitationem; multò magis ante contractum matrimonium, propter eandem causam, potest sponsus licite non admittere sponsam in suam cohabitationem; quia turpius eijcitur, quam non admittitur hospes. Quare in utroque casu (sive uxor sit dimissa, sive sponsa non admisa *Gl. hic v. Alterutro*) potest vir uxorem adulteram recipere ad torum, & cohabitationem, vel non recipere: aut sponsam, post fornicationem, ducere, vel non ducere, sine violatione iuramenti. Præterea, si mulier post contractum matrimonium, fiat leprosa, vel paralytica, vel oculos, aut nasum amittat, vel turpius quidpiam ei accidat, maritus eam à se dimittere non potest etiam à cohabitatione: & tamen post sponsalia de futuro etiam iurata, si quid tale eveniat, non tenetur sponsus mulierem ducere; quia multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt iam contractum.

CXVI. Ratio decisionis patet ex dictis; quia sponsalia de futuro dissolvi possunt, si gravis mutatio superveniat, ad quam promittentis intentio saltem virtualis se non extendit: continet enim in se natura hanc tacitam conditionem: Servabo fidem tibi, si & tu servaveris, & legem desponsationis non violaveris: quæ conditio sicut tacite inest ipsi promissioni simpliciter sponsaliorum, ita etiam inest ipsi iuramento adiecto: quod intelligi debet secundum subiectam materiam: sequitur enim naturam, & condiciones promissionis, cui adiungitur. Sic etiam, qui iurat, se soluturum pecuniam mutuo acceptam, iurare intelligitur, iuxta conditionem mutui, si nimirum pecunia sibi numeretur: unde non obstante iuramento, potest opponere intra biennium exceptionem non numeratæ pecuniæ, iuxta *l. ult. G. de non numer. pecun.*

Similiter etiam locator iuravit, se non expulsum conductorem è fundo, vel domo, intra tempus locationis, sub pœna decem aureorum: nihilominus, si conductor pensionem per biennium non solvit, potest, sine periculo, illum locator expellere; quia salvâ iustitiâ id potest: iuramentum enim solum eò usque se extendit, quousque obligatio ex iustitiâ se extendit, cui tantum superaddit obligationem ex religione. *Arg. l. Quero; 54. §. Inter locationem; ff. de loco ubi id de pœna statuitur, quod tali casu non debeat solvi pœna; quia contractui inest hæc tacita conditio, ut conductor, biennio non solvens pensionem, expelli possit. Sanch. cit. c. 17. num. 10.* plura exempla huius Regule videri possunt apud *Palao cit. pun. 14. num. 5. & seqq.*

CXVII. Ex dictis inferitur primò, quod fornicatio subsequens dissolvat sponsalia de futuro etiam iurata,

jurata, non autem ea præcedens, si contrahens fornicationem non ignoravit; quia contrahendo censetur mores eius approbare; ideoque non potest eos postea reprobare, nisi ex causa de novo superveniente. *Gl. hic V. Præcedentem.* Infertur secundò. Quamvis in hoc cap. solum sermo sit de sponsa fornicante post sponsalia, tamen idem dicendum est de sponso; quia quoad hæc pari iure censentur: dissolvuntur autem sponsalia in favorem illius, qui non delinquit, pro eius arbitrio: nam alter nocens debet stare promissis, nec licet illi resiliere à sponsalibus. *Abb. hic num. 4.* Infertur tertio, quòd, etiam si per vim femina cognita fuerit ab alio, sponsus non tenetur cum ea contrahere matrimonium, non obstante juramento. *Gl. hic V. Oculos; in fine.* quia id edere potest in grave dedecus sponsi. *Barb. in Collect. hic num. 11.* Infertur quarto, quòd levior causa sufficit ad dissolvendum sponsalia de futuro, quam ad instituendum divorcium inter coniuges quoad torum, & cohabitationem; quia matrimonij vinculum ætius est; ut colligitur ex hoc c.

CXVIII. Assertio 3. Juramentum non est ita interpretandum, ut obliget cum alterius præiudicio, seu gravi incommodo; quia tale juramentum præiudicans alteri est illicitum, & contra iustitiam; quia lædit ius alterius, idè què non valet; ut colligitur ex c. *Sicut* 27. h. t. *Gl. magn. in c. Venientes*; 19. in notatis eod. Vt, si uxor juravit servare continentiam, siue consensu mariti: nam tenetur nihilominus reddere debitum viro petenti, etsi exigere non possit. Item, qui iuravit, se non revelaturum secretum sibi commissum, non obligatur hoc juramento, si id fuerit alteri noxium; adeoque, eo non obstante, patefacere illud potest ijs, qui prodesse possunt, non obesse. *Silvest. V. Juramentum*; 4. q. 15. *Azor. cit. lib. 11. c. 8. q. 15. Sanchez. cit. c. 17. num. 25.* & alij communiter.

S. III.

De conditionibus, quæ ipso iure tacite insunt iuramentis, & plerumque subintelligenda sunt.

CXIX. Assertio 1. Alia regula generalis est, quòd in omni juramento promissorio, quamvis absolute factò, tacite quædam conditiones generales continentur, secundum quas attendenda est obligatio juramenti, ita, ut absque his subintellectis non obliget, nec valeat. *cit. c. Quemadmodum; in princ. ibi: quoniam in eo talis erat subintelligenda conditio, h. t. ubi Gl. V. Conditio;* varias conditiones recenset, quæ in juramento includuntur, quamvis non exprimantur. *Abb. ibid. n. 8. Silvest. V. Juramentum*; 3. q. 1. *Suar. lib. 2. de juram. c. 34. n. 1. Laym. lib. 4. tract. 3. c. 9. n. 4.* Porro hæc conditiones, quæ tacite inclusæ sunt in juramento, eique suapte naturæ insunt, quamvis in eo exprimantur, non faciunt juramentum conditionatum, sed relinquunt illud absolutum; ut docet *Gl. in cit. c. Quemadmodum*; V. *Conditio; in fine. h. t. & Abb. ibid. n. 8.* Idque etiam sumitur ex c. *Significasti*; 4. iuncta *Gl. communiter recepta*; V. *Conditio, de election. & ha-*

betur in l. *Hæc verba*; 3. ff. de legat. 1. ubi *Bart. in princ. ait: Expressio eorum, quæ ex necessitate tacite insunt, nihil operatur, & dictio, si tunc ponitur pro, quia: secus est, si adijciatur aliquid accidentale actui, quod adesse, vel abesse potest; id enim facit aetum conditionalem; nam conditio suspendit obligationem usque ad conditionis eventum: idemque constat ex l. *Conditiones*; 99. ff. de condit. & demonstr. ubi dicitur: conditiones, quæ tacite inesse videntur, non faciunt legata conditionalia. Quare in juramento conditionali suspenditur obligatio, donec conditio impleatur: at verò in juramento absoluto, per conditionem subintellectam, quæ necessitate ei inest, non suspenditur eius obligatio, sed juramentum statim obligat, si conditio subintellecta de præfenti subsistat, independentè à futuris conditionibus extrinsecis, licet postea cessare possit eius obligatio, si, antequam impleatur, superveniat contraria conditio. v. g. sponsalia propriè conditionalia, ante eventum conditionis, non obligant ad matrimonium contrahendum, nec ex ijs oritur impedimentum publicæ honestatis, c. *unic. in fine de sponsal. in 6.* Secus est in sponsalibus absolutis, quibus inest tacita conditio; statim enim obligant ad matrimonium contrahendum, licet postea propter fornicationem subsequentem dissolvantur, iuxta c. *Quemadmodum*; 25. h. t. sicut ergo inter se differunt contractus absoluti, & conditionati, non obstantibus conditionibus subintellectis, qui illis tacite insunt: ita etiam juramentum absolutum, & conditionatum inter se differunt, quo confirmantur contractus. *Suar. lib. 2. de juram. c. 34. num. 11. & 12.**

CXX. Assertio 2. Harum conditionum, quæ tacite insunt iuramentis, etsi non exprimantur, plures sunt. Prima est: *Si potero*; quia ad impossibile nemo obligatur, iuxta *Reg. jur. 185. in ff. idque sumitur ex c. Querelam*; 10. ibi: *si non necessitate, sed voluntate &c. h. t.* Item: *Si licitè potero*. c. *Quinta vallis*; 23. h. t. & c. 1. eod. in 6. quia juramentum non est vinculum iniquitatis: & quia, quod licitè, & iure fieri non potest, non censetur homini simpliciter possibile, c. *Faciat*; 15. iunct. *Gl. V. Quod potest*; ubi ait: Solum illud dicimur posse facere, quod iuste facere possumus. *caus. 22. q. 2.* Quòd si una pars rei promissæ impossibilis sit, vel illicita, altera verò possibilis, & licita maneat; tunc utile per inutile non viciatur, si illud ob isto separari possit, & sine dependentia ab illo promissum sit; ut tradunt DD. in *Reg. jur. 37. in 6. Suar. c. l. n. 2. Laym. c. l. Ad hanc primam conditionem referri potest illa: Si Deo placuerit; quia Deo non placent, nisi licita, c. *Beatus*. 2. cit. *caus. 22. q. 2. Suar. c. l. num. 2.**

CXXI. Secunda conditio est: *Salvo iure, & auctoritate Superioris*, quæ in omni juramento excepta intelligitur; prout sumitur ex c. *Venientes*; 19. h. t. quia juramentum non obligat subditum in præiudicium iuris, seu auctoritatis Superioris; quamvis is in materia pertinente ad suam potestatem juramentum sibi præiudicans irritare, vel ob iustam causam relaxare possit. *Abb. ibid. n. 2.* & quia iurare aliquid contra ius, vel obedientiam Superiori debitam, est iurare aliquid illicitum; eum tamen in omni juramento subintelligatur ea conditio: dummodo illicita non contineat. *Suar. cit. c. 34. num. 3. & 5.* Idque probatur ex cit. c.

» Venientes; h. e. nam quidam civis Sudertinus à Con-
 » sulibus civitatis ad dominium Papæ pertinentis, per
 » sententiam condemnatus fuit ad restitutionem pos-
 » sessionum, seu honorum quorundam, à qua sen-
 » tentia ipse ad Sedem Apostolicam appellavit: sed
 » Consules nihilominus eam sunt executi: quamvis
 » etiam leges seculares post sententiam latam non
 » denegent beneficium appellationis gravatis: ideò
 » que Papa Innocentius III. eos reprehendit. Ver-
 » rum Consules se excusarunt, id ab ipsis factum
 » esse; quia secundum consuetudinem loci, in su-
 » scptione officij, juramentum edere solent, quòd
 » sententia lata super mutuis, & plagiarijs (id est,
 » fideiussoribus. *Gl. hic V. eod.*) intra 28. dies exe-
 » cutioni mandabunt: ideòque salvo hoc juramento
 » suo, non posse eos huiusmodi appellationibus de-
 » reiecit; quia etiam alij Iudices iurare coguntur,
 » quòd secundum leges iudicabunt, sicut ipsi Con-
 » sules iurarunt, se iudicatos secundum consuetu-
 » dinem civitatis suæ: & tamen, hoc non obstante,
 » iustas appellationes admittere debent. Quare man-
 » dat ipsi Consulibus, ut in posterum appellatio-
 » nibus interpositis ad Sedem Apostolicam defe-
 » rant, cum etiam in juramento ipsorum ius Supe-
 » rioris exceptum esse, intelligi debeat. Cum ergo
 » post appellationem factam à cive dicti Consules sen-
 » tentiam latam executioni mandaverint, ad verfarium
 » appellantis in possessionem rerum, de quibus erat
 » questio, inducentes: ideo insuper præcipit Papa
 » Consulibus, ut eundem civem in possessionem bono-
 » rum restituant, sicut eam habuit tempore ap-
 » pellationis: alioquin se mandasse, inquit Papa, Epi-
 » scopo Nucerino, ut ad id per Censuram Ecclesia-
 » sticam compellantur.

CXXII. Pro explicatione huius c. Notan-
 dum primò. In juramento, quod quis velit senten-
 tiam latam intra certum tempus exequi, subintelligi
 debet hæc exceptio: nisi ad Superiorem fuerit ap-
 pellatum: ius enim recipiendi appellationes, quod
 Superiori Iudici debetur, ab inferioribus tolli non
 potest, nec auferri: & quia juramentum editum in
 materia iuris interpretandum est secundum terminos
 iuris; ideo tale juramentum de exequenda senten-
 tia, intra certum tempus, ita intelligendum est; si
 ea executioni mandati debeat, ac possit; non item;
 si propter interpositam appellationem manere debe-
 at suspensa. *Alexand. de Nevo hic num. 17. & 22.*
 quia pendente appellatione nihil est innovandum;
 & deòque neq; sententia lata executioni mandanda. *Gl.*
hic V. Executionis; imò, si tunc executioni mandata fu-
 erit, quidquid factum est, post interpositam ap-
 pellationem, in irritum revocari debet, & omnia re-
 stituenda in pristinum statum, antequam causa ap-
 pellationis examinetur. c. *Non solum;* 7. de appellat.
in 6. c. Pastoralis; 28. §. *Prætereade offic. deleg. & colligi-*
tur ex hoc c. ubi id notat. Gl. V. Possessionem; & *Gl. fin.*

Notandum secundò. Si Clericus v. g. vel fi-
 liusfamilias, vel quisvis alius subditus in loco alienæ
 jurisdictionis existens, iuravit, se inde non disces-
 surum, nisi prius debitum contractum solvat: potest
 is, non obstante juramento, inde discedere, si ab
 Episcopo, vel à patre, vel alio Superiore suo revocetur;
 quia in tali juramento censetur exceptum jus, &

» auctoritas Superioris, qui ratione beneficij, vel pa-
 » triæ potestatis, vel domicilij, subditum domum re-
 » vocare potest. Excipitur, nisi Superior, saltem ta-
 » citè, censetur dedisse licentiam subdito obligandi se
 » sub juramento ad permanendum in loco, donec de-
 » bita soluta sint: ut quia Clericum, vel filium militis
 » ad Academiam, studendi causâ: nam, cum tunc de-
 » bita contracta, studiorum causâ, ex obligatione sol-
 » vendâ sint, consequenter censetur etiam Supe-
 » rior licentiam dedisse subdito tam diu ibi manen-
 » di, donec solvantur, si alioqui abeundi facultatem
 » impetrare non possit; ut notat *Abb. hic num. 3. c. 19.*
Alex. de Nevo num. 16. quia concessio uno, censetur
 » & omnia concessa, sine quibus illud expediti non potest.
Arg. c. Prætereade 5. c. Prudentiam; 2. 1. *in fine. de offic. deleg.*

Notandum tertio. Iurans aliquid facere, dum
 est Cardinalis, potest illud factus Papa revocare, ac
 contrarium agere, non obstante priori juramento;
 quia in hoc semper debet intelligi exceptum ius, &
 auctoritas Superioris. Idemque est de Canonico facto
 Episcopo, si iuravit, se facturum, per quod impe-
 ditur libera potestas Episcopi. *Suar. l. 2. de juram. c.*
38. num. 5. Barb. hic in collect. num. 5.

CXXIII. Tertia conditio: nisi is, in cuius
 gratiam, vel utilitatem iuratum est, obligationem re-
 mittat; quia, cum nemini invito detur beneficium,
 vel præstetur servitium, tale juramentum intus de
 includit hanc conditionem: si is, cui fit promissio,
 vel juramentum, eam acceptaverit: ergo, si eam re-
 miserit, eo ipso non obligat etiam juramentum ac-
 cessorium promissioni, tamen remissio fiat, sine ista
 causa: cum enim promissarius sit dominus matre-
 riæ, sive rei promissæ, non indiget causâ ad remitten-
 dum: sufficit autem, non solum expressa, sed etiam
 tacita remissio; ut si filia, receptâ dote, hereditati
 paternæ, iuramento renunciauit, & postea in testa-
 mento à patre instituat heres, aut legatum ei re-
 linquatur; tum sine alia juramenti relaxatione, he-
 reditatem, vel legatum capere poterit; quia patet
 tacitè remississe censetur obligationem. *Felin. in c. 1.*
num. 6. h. t. Suar. cit. c. 34. num. 3. et c. 39. num. 1.
Sanch. l. 3. mor. c. 20. num. 4. Laym. cit. loc. num. 4.
 Vbi tamen distinguendum est, an juramentum prom-
 issorium directè, ac principaliter fiat homini, sive
 in utilitatem hominis; ut, si quis iuret, se ducendum
 Titiam in uxorem, vel non aliam, quam illam: &
 tunc certum est, remittente homine obligationem ce-
 cessare etiam obligationem juramenti: an verò jura-
 mentum promissorium principaliter fiat DEO, sive ob
 honorem DEI, licet secundariò, in gratiam alicuius
 hominis; ut, si quis alicui petenti, ut eleemosynam
 det certo pauperi, juramento promittat, se re ipsa dæ-
 turum: non potest is, cui promissio jurata facta est, re-
 mittere; quia non est ei facta principaliter, sed DEO; ut
 docet *S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 2.* Similiter, si quis
 certo pauperi eleemosynam promittat iuratus, tum
 vel principaliter promittit, ut subveniat pauperi,
 & intuitu ipsius; & tunc potest homo remittere ius
 iurandum; quia hoc casu DEVS juramentum acceptat
 in commodum hominis: ac proinde, si hic illud re-
 mittat, etiam DEVS remittit; vel principaliter fit
 promissio, ob honorem DEI; licet utilitas redun-
 det in hominem; & tum, si hic acceptet promissio-
 nem iuratum, non potest juramentum remittere;
 quia

quia DEUS non tantum acceptat promissionem iurata sibi factam, ob utilitatem hominis, sed etiam ob proprium cultum, & honorem. *Azor. cit. l. 11. c. 9. q. 11. Suar. c. l. 2. c. 39. n. 8. Laym. cit. c. 9. n. 5.* qui loquuntur de eo casu, quo homo non respuit promissionem iurata sibi factam positivè, tanquam sibi non acceptam, sed solùm negativè, non exigendo illam; tunc enim homo remittere non potest iuramentum; quamvis aliqui putent, etiam hoc casu iuramentum remitti posse ab homine; quia Deus illud acceptat in ordine ad hominem, in cuius utilitatem cedit: ideo, si homini sit satisfactum, censetur etiam satisfactum DEO. *Navarr. in man. c. 22. n. 24. Sanch. l. 3. mor. c. 20. n. 7.* quæ sententia etiam probabilis est, sed prior probabilior.

CXXXIV. Quarta conditio est: si res in eodem statu permanerint, vel non fuerint notabiliter mutata; prout sumitur ex iuribus supra cit. *c. Veniens; 16. c. Brevi; 17. ibi: nisi difficultas existat, propter quam requisitus non possit Ecclesie subvenire &c. c. Quemadmodum; 25. c. Peritio; 31. h. t.* nam, si tanta rerum mutatio facta sit, ut verisimile non sit, iuramentum habuisse intentionem se obligandi ad rem adeo difficilem, aut indecentem; tunc iuramentum ita interpretari oportet, ut casum illum non comprehendat, neque ad illum se extendat. *Suar. cit. c. 34. num. 4. Laym. c. l. num. 5.* & patet ex exemplis supra allatis.

CXXXV. Quinta conditio est, in pacto, transactione, vel contractu reciproco, etiam si iuramentum ei accedat, suapte natura inest hac tacita conditio: Si alter, cum quo contrahitur, vel pactum initur, promissis quoque steterit, & conditiones, sub quibus contractum est, observaverit; alioquin non astringitur quis iuramento ad implendum, quod iuravit, si ab eo, cui præstitum fuerat, non impleatur, quod vicissim ipse promissit; prout statuitur in *c. Peritio; 3. h. t.* in quo in primis dicitur: Promissum non infringit, qui in melius illud commutat: deinde subiungitur: neque aliquis fidem, etiam cum iuramento datam, servare obligatur, si constet, illum conditionem (sub quâ data est) non servare. De priore dicto huius c. agemus postea, nunc de posteriore; cuius ratio est, quia fidem frangenti fides servanda non est; ut habetur in *Reg. jur. 75. in 6.* ubi dicitur: Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat; & tradit *Gl. communiter recepta in l. Cum proponas; 21. V. Vis: C. de pact. ut exemplis declarabitur, v. g. in contractu matui, qui iurat solvere, non obligatur iuramento, si creditor pecuniam non numeravit. l. ult. C. de non numer. pecun. in contractu venditionis, & emptionis etiam iuramento confirmato, non obligatur venditor ad tradendam mercem, seu rem venditam, si emptor pretium non solvat: neque hic ad solvendum pretium, si venditor mercem non tradat; quia cessat conditio tacite subintellecta. *Suar. l. 2. de juram. c. 34. n. 8.**

CXXXVI. Idem probatur ex *c. Sicut; 29. §. Iuramentum; h. t.* ubi dicitur: iuramentum, quod quis præstitit, si de consensu utriusque editum sit, non obligat ipsum, si alter, cui præstitum fuit, servare negligat, quod promissit. Ratio est; quia iuramentum sequitur contractum, vel actum,

cui adiungitur; ideoque recipit omnes condiciones, quas ille expressè, vel tacite includit. *c. Quemadmodum; 25. h. t.* inter quas etiam ista conditio subintellecta est, quod non servanti fidem fides quoque servanda non sit. *Gl. in cit. §. Iuramentum; V. Non ligat; h. t.* Idemque est, si unus solùm promittat iuratus, aliquid alteri se daturum, vel præstiturum sub conditione ab eo præstanda. Sic, si quis iuratus promissit, se servitutum alicui Domino in bello, quia feudum ab eo accepit; & Dominus feudum auferat, alter non tenetur ipsi amplius ad servitutum in bello. *Abb. in cit. c. Pervenit. n. 3.*

CXXXVII. Ceterum hanc doctrinam non improbabilius extendunt aliqui DD. ad eum casum, quo duo, non per modum contractus onerosi, & reciproci, mutuas inter se promissiones faciunt, sed absolutas, & gratuitas v. g. si Titius promissionem iurata faciat Caio, se ei mutuo daturum certam pecuniæ summam, Caius verò alio tempore absolute; & non intuitu mutui, vel in compensationem eiusdem, Titio promittat, se daturum ipsi equum: hoc casu, si Caius non stat promissis, neque Titius promissionem suam, etsi iurata servare cogitur; ut docet *Molin. tract. 2. de iustit. dis. 272. n. 10. & 11. Sanch. lib. 3. Moral. c. 17. n. 16. Laym. cit. c. 9. n. 6.* Ratio est; quia gratuita, ac liberalis promissio, seorsum se, ob ingratitudinem promissarii, revocari potest, qui fidem non servando, indignum se præbet, cui fides ab altero vicissim servetur: ergo etiam accedente iuramento licet revocatur; quia iuramentum sortitur naturam, & conditiones actus, cui adijcitur: licet contrarium teneat *Abb. in cit. c. Pervenit; 3. n. 4. Silv. V. Iuramentum; 4. q. 13. Azor cit. lib. 11. c. 8. q. 4.*

CXXXVIII. Sed contra dicta ob stare videntur aliqui Canones. Nam primò in *c. Noli; 3. caus. 23. q. 1.* dicitur, quod fides, quando promittitur, etiam hosti servanda sit. Sed hoc verum est, quàm diu ipse nobis servat fidem, aliàs non tenemur ei servare. *Gl. ibid. V. Hosti.* Secundo in *c. Quod Deo; 4. caus. 33. q. 5.* dicitur: si maritus, & uxor, pari consensu, voverunt continentiam, etsi unus non servet, alter tamen servare tenetur. Verum ibi uterque coniux absolute promissit continentiam DEO, non sub conditione, si & alter voveat: ergo, licet unus non servet, non ideo alter liberatur; quia sine conditione exolvenda sunt, quæ sine conditione voverunt. *c. unic. in fine caus. 32. q. 8. Gl. fin. in cit. c. Pervenit; 3. h. t.* Tertio in *c. Innocens; 23. caus. 22. q. 4.* dicitur, quod Josue pacem, quam Gabonitis iurando promiserat, revocandam non censuit; quia erat Sacramenti Religione firmata. Verum ipsi nihil vicissim promiserunt, licet per fraudem iuramentum ab Israëlitis extorserint, nullâ tamen adiectâ promissione.

CXXXIX. Porro circa priorem partem cit. *c. Pervenit; 3. h. t.* notandum, quando ibi dicitur, quod promissum (etsi iuratum) non infringit, qui in melius illud commutat, id intelligendum esse cum distinctione; ut notat ibidem *Abb. num. 2.* nam vel DEO, sive in DEI honorem aliquid promissum, vel iuratum est: & hoc semper in aliud opus, quod absolute, & certo, ac evidenter melius est, adeoque etiam DEO gratius, & acceptius, propria

aucto-

auctoritate, commutare licet. Si verò dubitetur, an melius sit, necne, id, in quod iuramentum commutandum est; tum talis commutatio fieri non potest, nisi legitima auctoritas Episcopi, vel alterius Prælati, seu Superioris accedat. Vel iuramentum promissorium præstitum est homini, sive in favorem hominis, & privatam eius utilitatem: & tunc non potest iurans promissum, sine consensu expresso, vel tacito eius, cui promissio facta est, etiamsi ipsi melius sit, commutare; quia non semper, quod secundum se melius est, est etiam gravior, & acceptius promissario: neque verò aliud pro alio, invito creditore, solvi potest. l. 2. §. *Mutui datio*; ff. *de rebus credit.* Abb. & Felin. in cit. c. *Pervenit*; num. 2. *Axor* p. 1. lib. 11. c. 10. q. 1. sicut & de voto communiter docent Theologi.

CXXX. Postremò illud hoc loco adhuc quaeriri potest, ad quem spectet interpretatio iuramenti, si de eo dubium oriatur? Respondetur, spectare ad Judicem, seu Prælaturam Ecclesiasticam, ad quem etiam, si quaestio oriatur de iuramenti valore, & obligatione, eius decisio pertinet; ut ex communi docet Abbas in c. *Cum contingat*; 28. num. 15. h. t. Ratio est; quia ex Jure civili non potest satis cognosci, utrum tale iuramentum sit licitum, necne, sive num obliget, an non, sed potius secundum SS. Canones id examinari debet. *Laym.* lib. 4. tract. 9. c. 2. n. 8.

SECTIO IV.

AN, ET QUAE RATIONE IURAMENTUM HABEAT VIM CONFIRMANDI PACTA, & CONTRACTUS?

S. I.

An iuramentum habeat vim confirmandi contractus, qui, eo secluso, ipso iure sunt irriti?

CXXXI. Præmittendum primò. Pactum, vel contractum iuramento confirmari, non est sub iuramento promissum, vel contraxisse; sed, quòd promissio, vel contractus per accessionem iuramenti accipiat robur, ac firmitatem, in ratione contractus, sive obligationis ex iustitia, quam alioquin non habuisset, eò quòd lex ei resistat, eumque irritet: adeòque, quòd vi iuramenti adiecti, talis contractus, non solum obliget ex iustitia, sed etiam ex religione, ut infra dicitur.

Præmittendum secundò. Leges interdum irritant contractus, ita, ut ob prohibitionem legis, nulla obligatio civilis, & consequenter neque actio ex tali contractu oriri possit; quamvis oriatur obligatio naturalis: aliquando verò ita irritant contractus, ut neque obligationem naturalem pariant.

Præmittendum tertio. Aliquando leges irritant contractus principaliter propter bonum commune, & publicum, & secundariò solum ob bonum, &

utilitatem privatam: aliquando verò, & septima primariò ob bonum privatam, & secundariò tantum ob bonum publicum, quæ omnia ex dictis magis patebunt.

CXXXII. Assertio I. Iuramentum non potest confirmare pacta, & contractus, qui alioquin Jure Civili irritati, vel minùs efficaces sunt, ita, ut presentiam Judicis rescindi possint, interdum per accessionem iuramenti sic confirmari, ita, ut jus, sive obligationem ex iustitia pariant; & actionem etiam in foro externo tribuant, quales sunt omnes illi contractus, in quibus sine peccato iuramentum servari potest, & ex parte personæ, in cuius favorem iuramentum est, nulla reperitur turpitudine, sive iniustitia, videlicet usura, dolus, vel metus iniustus incussus. Prima pars est certa, & communis; quia contractus, qui sunt ipso Jure naturali irriti, versantur circa materiam, seu obiectum illicitum, & peccatum; adeòque etiam adiecto iuramento non possunt obligare, saltem efficaciter, & inviolabiliter, cum iuramentum non sit vinculum iniquitatis. c. *Quanto*, 13. h. t. Secunda pars tractatur ab Abbate in c. *Cum contingat*, 28. n. 8. h. t. *Cover*, in c. *Quamvis*; de pact. in 6. relect. p. 2. §. 1. n. 7. *Sanch.* lib. 3. in Decal. c. 12. n. 5. & n. 11. *Laym.* lib. 4. tract. 9. c. 8. n. 1. & est communior sententia DD. quamvis Lessius lib. 2. de iustitia. c. 17. dub. 7. n. 5. & *Sar.* lib. 2. de juram. c. 29. n. 25. & alii quidam dicant, nunquam confirmari contractum Jure civili irritatum, ita, ut non solum nullam obligationem civilem, sed neque naturalem inducat; quia non habet tunc obligationem, cui adhæreat. Sed probatur assertio nostra primò ex c. *Cum contingat*, 28. h. t. Nam quaestum fuit, an ex Papa Innocentio III. an, si mulieres, consuante matrimonio, alienationibus rerum dotalium, & donationibus propter nuptias à marito factis consentiant, easque iuramento confirmet, quòd eiuusmodi alienationes oppugnare nolint, sed postea soluto matrimonio, nihilominus illas oppugnare nitantur, licet hoc agant? Respondit Pontifex, etiam secundum leges Juris Civilis, consensus mulierum in eiusmodi alienationibus obligatorius non sit: ne tamen per talem prætextum via perituri aperiantur, mulieres servare debent huiusmodi iuramenta, si absque vi, & dolo sponte sint præstita, & in alterius præiudicium (scilicet filiorum, vel Creditorum. *Gl.* in *dispendium* salutis æternæ.

CXXXIII. Pro explicatione huius c. Notandum est, si mulier in alienationem rei dotalis, sive rei immobili ab uxore marito in dorem data, vel etiam rei propter nuptias donatæ uxori à marito, in recompensationem, & securitatem dotis allatæ, consentiat, renuncians privilegiis suis: talis alienatio dotis, etiam consentiente muliere, facta, Jure civili est prohibita, & irrita. l. *Fundus*; 3. & duabus seq. ff. *de fund. dotali*. *Inst.* *quib. alien. no. licet in princ.* idque, ne sexus mulieris fragilitas in perniciem substantiæ earum convertatur, ut ibidem dicitur, sicut etiam res donata propter nuptias uxori à marito alienari non potest, ne quidem consentiente muliere, nisi hæc duo concurrant, ut & iterum, post elapsum biennium, consensum præbeat, & dorem ex aliis bonis mariti recuperare possit, juxta *Auth. Sive à me. C. ad SG. Velleian.* alioquin, h. t.

si hæc duo, vel alterum eorum desit, tum mulier etiam in rem in situ actione, vindicare potest, quod alienatum est, à quocunque possessore. *cit. Auth. Sive; & Auth. Permissa; C. de donat. ante nupt.* Nihilominus tamen, si mulier in alienationem dotis, vel rei propter nuptias donata iurata consentiat, obligatur ex virtute religionis, & ratione iuramenti; quia alienatio illa, siue renunciatio privilegiorum mulieri sub peccato prohibita non est, leges enim commodum mulieribus, & auxilium afferre, non autem obligationem aliquam ad peccatum, vel pœnam imponere intenderunt: & consequenter, cum alienationem, & iuramentum suum mulier sine peccato servare possit, etiam debet servare, juxta *cit. cap. Cum contingat.* & insuper etiam ex obligatione iustitiæ tenetur, & quidem efficaciter, ita, ut nec in interno, nec externo foro remedium actionis ei, per se loquendo, competat ad rescindendam alienationem dotis, vel donationis propter nuptias. Idque colligitur ex eo, quod *cit. cap. Cum contingat.* non possit intelligi de obligatione solius iuramenti; quia ibi expressè dicitur, tale iuramentum servandum esse, si sine vi; & dolo sponte sit præstitum: atqui, etiam si mulier per vim, vel dolum inducta in alienationem rei dotalis, vel alterius contractus consensisset, nihilominus esset ex virtute Religionis obligata ad servandum iuramentum; cum etiam tunc sine dispendio salutis servari possit; ut patet in debitore, qui iuratus promissit, se soluturum usuras: is enim debet eas solvere, licet iniuste sine exactæ, juxta *cap. Debitores; 6. h. t.* quamvis non obligetur efficaciter, siue irrevocabiliter, siquidem relaxationem iuramenti petere, & postea ad rescissionem contractus agere potest, juxta *cap. Si verò; 8. h. t.* ergo, quando hæc dicitur, iuramentum etiam sine vi, & dolo præstitum servari debere, satis aperte innuitur, quod non tantum ratione religionis, seu iuramenti, sed etiam ex obligatione iustitiæ servandum sit tale iuramentum; & quia per illud confirmatus est contractus, ita, ut ex eo oriatur obligatio iustitiæ: ideoque non potest peti relaxatio talis iuramenti, sed inviolabiliter servandum est; quia observatum non credit in præiudicium alterius, sicut iuramentum de usuris solvendis, vi, vel dolo extortum, neque etiam observatum vergit in dispendium salutis æternæ; ut hæc dicitur; quia sine peccato servari potest. Confirmatur; quia, si mulier consentiens in alienationem rei dotalis, adiecit iuramento, tantum ex virtute religionis servare deberet tale iuramentum, tunc Pontifex in hoc cap. addidisset, ut res dotales, & quarum dominium non est translatum in accipientes: sicuti usura soluta postea restitui debent à creditore; prout expressè additur in *cit. cap. Debitores; h. t.* ita etiam in hoc c. exprimi debuisset, nisi alienatio per iuramentum fuisset validata: ideoque res dotales alienate justo pretio repeti non possunt; ut mox dicitur.

CXXXIV. Probat secundò. Et confirmatur supra dicta sententia ex *cap. Licet; 2. h. t. in 6.* Ubi Bonifacius VIII. ita rescribit: Licet mulieres, quæ alienationibus dotium, aut donationum propter nuptias se non contraventuras, proprio iuramento (per se, vel per Procuratorem) specialem ad hoc mandatum habentem præsti-

to. *Glof. hic V. Proprio.* confirmarunt, iuramentum huiusmodi, non vi, nec dolo præstitum de Jure Canonico servare teneantur; quia tamen quidam Judices seculares eas mulieres, si alienationes retrahere velint, audiunt: ideo Pontifex, ut animarum periculis obvietur, mandat, ut iidem Judices per locorum Ordinarios censuris Ecclesiasticis ad servandum Jus Canonicum compellantur. Ratio decisionis est; quia etiam Judex secularis in foro suo, secundum Canones, judicare debet, si agatur de periculo animæ, siue vitando peccato, & ad id per censuram Ecclesiasticam compelli potest; quia Ecclesiastica Potestas est superior seculari; ideoque hanc coercere potest, etiam in ordine ad laicos, in causis Spiritualibus, vel ad Ecclesiasticum forum spectantibus, licet aliàs quodlibet jus servandum sit in suo foro. *Glof. magna hic in notat. & V. Compellendos. Franc. num. 3.*

Hinc colligitur primò. Quod non solum, si ipsæ mulieres per se dotes suas alienent, appposito iuramento se non oppugnaturas alienationem, non possint contra agere; sed etiam, si consentiant alienationibus dotium factis à maritis earum, vel aliis personis. *Franc. hic n. 2.*

Colligunt secundò DD. quod iuramentum tale firmat contractum, ita, ut oriatur obligatio ex ipso contractu, eaque etiam transeat ad heredes jurantis, nec possit peti absolutio à iuramento. *Petr. Anchor. hic; & Franc. num. 1. not. 1. & 2.* Verum ex hoc capi non clarè ostenditur; alienationem jure civili irritam per iuramentum confirmari, ita, ut exinde obligatio ex iustitiâ, & actio oriatur; quia quoad hoc Jus Canonicum Judicibus secularibus nihil præscribit: quamvis Forum Civile in praxi, & secundum consuetudinem plurimum Tribunalium Christianorum, etiam in hoc sequatur Jus Canonicum, ita, ut iurantes ad implendum ea, quæ ita promiserunt, compellantur; ut refert *Laym. cit. cap. 8. n. 1. in fine.*

CXXXV. Idem clariùs probatur ex *cap. Quamvis; 2. de pact. in 6.* ubi decernitur, quamvis lex civilis improbet pactum inter patrem, & filiam, per quod, dum nuptui traditur, dote contenta, reliquæ hereditati renunciat; si tamen huiusmodi pactum per iuramentum, absque vi, vel dolo, præstitum firmatum ab eadem fuerit, omnino servari debet: quæ ultima verba non ad iuramentum tantum, sed potius ad pactum referenda sunt, cum de pactum ibi sit sermo; ut explicat *Gl. ibid. V. Servari; & arr. Relect. p. 2. §. 1. n. 7. & p. 3. §. 4. n. 8. in fine n. 1.* ita, ut non tantum iuramentum servandum sit, sed etiam contractus, seu pactum. Nec obstat, quod in allatis textibus dicatur, servandum esse tale iuramentum; quia non vergit in dispendium salutis æternæ, nec in alterius detrimentum: quæ ratio solum iuramenti obligationem probat. Verum ibidem additur, si non sit vi, vel dolo præstitum: atqui obligatio solius iuramenti ex virtute Religionis, etiam oritur ex iuramento, non sponte, sed coactè præstito: ergo insuper ex alio capite, & novâ obligatione servandum est tale iuramentum; quia nimiram ipsum pactum iuramento confirmatum, etiam ex iustitiâ obligat: alioqui enim exceptio illa, nisi vi, vel dolo iuramentum sit præstitum, omnino inutilis foret, & superflua. *Sancti. l. 3. moral. cap. 12. n. 5.*

CXXXVI. Similiter idem probatur ex *Auth. Sacramenta puberum. C. Si adversus venditionem. ubi dicitur: Sacramenta puberum* (id est minorum xxv. sed maiorum xiv. annis) sponte facta super contractibus (sine Auctoritate Curatoris, & decreto Judicis initis, si sint res immobiles) rerum suarum non retractandis, inviolabiliter custodiantur. Ex quo à contrario sensu inferitur, si iuramentum tale per vim, & metum extortum sit, inviolabiliter servandum non esse, sed à promissario, seu altero contrahente remitti, vel à legitimo Magistratu rescindi debere. Cum ergo in utroque casu iuramentum vim obligandi habeat, sive sponte factum sit, sive dolo, vi, aut metu sit extortum, saltem ex virtute religionis: hoc ipso, quod dicitur priore casu in *cit. Auth.* tale iuramentum omnino, sive inviolabiliter servandum esse, non item in posteriore, sed esse nullius momenti, satis aperte indicatur, iuramentum sponte sine vi, & metu editum, non solum vim obligandi habere ex religione, sed vim quoque confirmandi contractum, reddendo illum omnino firmum, & irrevocabilem, ita, ut ex eo detur actio, & exceptio. *Gl. in cit. Auth. V. Custodiantur.* quamvis ipso jure contractus non valeat, *Glos. ibid. V. Contractibus. Sanch. cit. c. 12. n. 5.*

CXXXVII. Probatur tertio supra posita assertio, evertendo fundamentum oppositæ sententiæ; quia, etsi nulla oriatur civilis obligatio ex tali contractu, nec etiam naturalis, jure positivo eam impediente: non tamen est omnino irritus, sed solo jure positivo, cum spectato jure naturali, sit validus: & ideo potest dici contractus, & retractari, quatenus validus erat jure naturali, & vitium nullitatis, quo afficitur jure positivo, purgatur, accedente iuramento, & ille actus restituitur in pristinam suam naturam, sive virtute iuramenti redditur validus: vel, quamvis maneat invalidus, saltem habet omnes effectus contractus validi, ac proinde adest subiectum, quod iuramento confirmari potest: nempe contractus ille ex natura sua validus: neque tunc iuramentum illud præcisè sumpsum confert jus parti; sed adiectum promissioni, sive contractui, quatenus illum reddit validum, saltem quoad omnes effectus contractus validi. *Sanch. cit. c. 12. n. 11. C. 30.*

Non obstat prædictis *l. Non dubium; §. C. de legib.* ubi dicitur, factum, lege prohibente, non servari debere, nec Sacramentum admitti: quia id intelligi debet, quando contractus prohibetur lege principaliter ob bonum commune; quia tunc est contra bonos mores civiles: adeoque nec iuramentum obligat, cum sine peccato servari nequeat. Deinde illa lex mutata est per *cit. Auth. Sacramenta puberum; Covarr. in cit. cap. Quamvis; p. 2. in princ. §. 1. n. 1. Suar. lib. 2. de juram. cap. 29. num. 20. Sanch. cit. cap. 12. num. 30.*

CXXXVIII. Assertio 2. In specie tales contractus, qui jure Civili sunt irriti, & iuramento firmantur, sunt plures, quos enumerant DD. Veluti primò. Alienatio fundi dotalis, & donationis propter nuptias. *cit. cap. Cum contingat.* Contractus Minoris super re immobili, vel mobili, quæ servando, servari potest, celebratus *cit. Auth. Sacramenta puberum.* Donatio inter virum, & mulierem, & liberos non emancipatos: Renunciatio filix de non succedendo paternæ hereditati. *cit. c. Quamvis.* Donatio excedens

500. solidos, non facta insinuatione Judicis: Promissio instituendi certum heredem, quæ præbet occasum captandæ mortis; vel testamentum non revocandum: Donatio omnium bonorum præteritum, & futurorum: Mortuatio filijfamilias, si iuratus is renunciavit beneficio Senat^o consulti Macedoniani: Fideiussio mulieris, quæ iurata renunciat privilegio Senat^o consulti Velleiani: item si quis iuratus renunciet pacto non utendi exceptione non numeratæ pecuniæ: Promissio pæne adiectæ sponsalibus solvendæ ab eo, qui resiliit; quia saltem solutio, seu impletio promissionis non est prohibita, quamvis alii contrarium teneant, quod hæc promissio pæne non confirmetur iuramento. *Less. l. 2. de just. cap. 17. num. 56. Laym. lib. 4. tract. 1. cap. 6. num. 4. C. cap. 8. num. 1. de quibus agitur suis locis.* Addunt aliqui, contractus prodigi iuramento etiam confirmari, si bonis ei sit interdictum. Sed sententia negativa est communior; quia quantum ad iudicium animi, prodigus furiosus computatur. *l. 1. ff. de curat. fur. in his enim, quæ pertinent ad rerum suarum administrationem, iudicio caret. Fachin. lib. 2. controuv. c. 64.*

CXXXIX. Assertio 3. Pactum, vel contractus non confirmatur accessione iuramenti, si Jus positivum, seu humanum, non tantum contractum, sed etiam iuramentum ei adiectum irritum reddat: tunc enim perinde est, ac si iuramentum non esset, cum tanquam irritum nullam vim obligandi habeat. *Sanch. cit. cap. 12. num. 50.* nam probabile est, quod non tantum Magistratus Ecclesiasticus, sed etiam secularis, saltem Princeps, qui Superiorem non agnoscit, si bonum Reipublicæ ita postulet, possit pactum aliquod, quod bonis moribus civilibus, & fini politico Reipublicæ adversari videtur, adeo infirmare, & irritum reddere, ut neque iuramenti accessione confirmetur; & quidem ita, ut non solum ex iustitia nulla actio, vel obligatio inde oriatur, sed neque ex virtute religionis obligationem, quæ propria est iuramenti, pariat, seu inducat; ut docet *Covarr. in cap. Quamvis; p. 2. §. 1. n. 8. Molina tract. 2. de justit. dif. 149. num. 13. Sanch. lib. 3. moral. cap. 22. n. 10. Laym. cit. cap. 8. num. 4. C. cap. 11. num. 9.* Ratio est; tum quia, quod pactum, vel contractus alioquin jure positivo, seu humano invalidus, per appositum iuramentum confirmatur, ita, ut jus, actionemque tribuat, id non provenit ex virtute iuramenti præcisè, cum iuramentum per se primò, ac directè non sit institutum ad confirmandum contractum, sed solum ad confirmandam veritatem; ut docet *Suar. lib. 2. de juram. cap. 28. num. 3. Sanch. cit. cap. 12. num. 3.* ad quod non requiritur, ut habeat vim confirmandi contractus; ut patet ex iuramento adiecto contractibus per iniuriam, vel metum extortis, in quibus iuramentum obligat ad confirmandam veritatem, sive faciendam veram rem iuratam, non tamen illos confirmat. Quare id ex Jure positivo tantum provenit, sive Canonico, sive etiam Civili, talem confirmandi vim iuramento tribuente: ergo, si Jus, sive lex positiva, aut consuetudo vim legis obtinens, nolit contractum iuramento confirmari, sed impediat, ne ex pacto, vel contractu etiam iurato obligatio nascatur, nec civilis, neque naturalis, non potest per iuramentum appositum contractus confirmari. Tum quia quævis Potestas publica debet esse sufficien-

S. II.

Vnde cognosci possit, quando iuramentum habeat vim confirmandi contractus, vel non, & quos effectus habeat iuramentum confirmatorium contractus?

Plures traduntur à DD. hac de re regulæ ex supra dictis deductæ, quas hic proponemus.

CXLI. Assertio I. Regula prima est, quando pactum, seu contractus prohibetur à jure positivo, vel lege Civili, & irritatur principaliter, ob publicam utilitatem, seu bonum commune, non confirmatur iuramento, neque hoc obligat. *Abb. in c. Cum contingat; 28. n. 5. h. r. Azor p. 1. Instit. lib. II. c. 7. q. 1. in 2. reg. Sanch. l. 3. mor. c. 12. n. 43. & c. 9. n. 34.* Ratio est: tum quia pactis etiam iuratis privatorum non potest derogari juri communi, seu publico. *l. Juris gentium; 7. §. Et generaliter. ff. de pact.* Cum non possit quis renunciare juri alieno, sive in præjudicium juris alterius: ergo multò minùs in præjudicium boni communis contra legem civilem disponentis aliquid in illius favorem. Tum quia tunc lex civilis directè, & immediatè spectat ad bonum commune tuendum; adeoque obligat ad culpam, & iuramentum de actu ita prohibito sine peccato servari non potest, quippe de re mala, & illicita. *cit. §. Et generaliter.*

Secunda regula. Pactum, sive contractus jure positivo, seu humano irritus, & prohibitus principaliter, ac directè, ob privatam utilitatem contrahentis, etiam secundariò, indirectè, seu consequenter etiam ob bonum publicum, quatenus omnes leges, si iustæ sint, ad utilitatem publicam ultimè referuntur, per accessionem juramenti confirmatur. *Azor c. l. in reg. 4. ita, ut etiam in foro externo jus, & actio tribuatur; quia tunc illa, lex non obligat ad culpam; adeoque potest sine peccato servari: nam, cum talis lex principaliter in favorem privatæ personæ tendat, non intendit ipsi obligationem ad culpam imponere, sed potius privilegium concedere, irritando actum, ne, quod statutum est in eius favorem, vergat in damnum spirituale ipsius; juxta Reg. Jur. 61. in 6. & l. Quod favorem; 6. C. de legib. quilibet autem potest renunciare juri in favorem ipsius immediatè, ac principaliter concessio per legem: adeoque juramentum factum contra legem obligat, cum sit de re licita. *Abb. in cit. cap. Cum contingat; n. 8. Sanch. cit. cap. 9. n. 35. & cap. 12. num. 44.**

Tertia regula est. Quando juramentum directè, ac principaliter vergit in præjudicium tertii, non confirmatur per illud pactum, seu contractus, cui adjicitur. *cit. cap. Cum contingat; 28. hoc tit. & cap. Quamvis; 2. de pact. in 6.* quia tale juramentum non obligat, quippe de re iniqua: Hoc autem debet intelligi de præjudicio, quod involvit iniuriam, vel saltem culpam contra aliquam obligationem naturalem: nam tale iuramentum non solum non est confirmatorium, sed neque obligatorium; quia sine peccato servari non potest.

ter instructa ad prohibendum ea, quæ fini suo, & bono communi obesse possunt, cuiusmodi etiam sunt quorundam pactorum, seu contractuum obligationes; consequenter poterit lex lata aliqua pacta, vel contractus, qui publico bono incommodare videntur, infirmare, ut nullo modo, nec quidem per appositum iuramentum, confirmari possint: alioquin eluderetur publica potestas, si subditi quod unà viâ per pactum, aut contractum consequi non possunt, aliâ viâ, nimirum per iuramentum consequerentur. *Laym. cit. cap. 8. n. 4.*

CXL. Id autem duobus modis fieri potest, Primò. Si per legem scriptam, vel per consuetudinem inductam pactum aliquod, cui iuramentum adiectum est, tanquam turpe prohibeatur; cuiusmodi est v. g. si quis sub iuramento promittat puellæ matrimonium, si uxor moriatur; vel quòd dolum, furtum, vel aliam iniuriam, si in futurum committatur, remittere velit: nam, quamvis post mortem aliam ducere turpe non sit: neque etiam dolum commissum, vel iniuriam illatam remittere: atramen ante mortem uxoris, iuramento se obligare ad ducendam aliam turpe videtur; quia præbet ansam machinandi mortem uxori: ob quam causam etiam civili jure reprobatur pactum iuratum futuræ successionis, vel testamentum non revocandi: item pactum duorum de hereditate tertiarum personarum. Similiter obligare se ad remittendum dolum, vel iniuriam in futurum committendam, turpitudinem continet; quia præbet ansam impune delinquendi. Sic etiam per pactum iuratum se obligandi ad non testificandum in causa criminali, utroque jure turpe censetur: ideòque tale pactum etiam iuratum non obligat, etsi aliàs liberum sit non testificari. Item per iuramentum adiectum pacto legis commissoriæ non confirmatur eiusmodi pactum, ita, ut inde jus, & actio competat adversus iurantem; quia ob periculum, & occasionem fraudium utroque jure reprobatur, licet aliàs sine peccato iurantis observari possit; adeoque obligationem inducat ex virtute religionis. *Abb. in cap. Significante; 7. de pignor. Laym. in cit. cap. 8. num. 4.* Alter modus est, si lex Canonica, vel Civilis pactum, sive promissionem, quamvis iuratum, tanquam illicitam prohibeat, eò quòd bono publico obesse reputetur. *Laym. cit. cap. II. n. 9.* His autem casibus, potestas secularis non prohibet, vel irritam reddit obligationem iuramenti directè, & immediatè, quippe cum ea sit spiritualis, & potestati laicæ non subiecta; sed indirectè, & mediatè, seu remotè, prohibendo, vel irritando pactum, seu contractum humanum, antequam incurrat: quo facto, consequenter irritatur iuramentum ei adiectum, ita, ut nulla ex eo oriatur obligatio. *Sanch. cit. cap. 22. num. 10.* ubi tamen addit, quòd talis potestas soli supremo Principi competat; quia inferior non potest contractus irritare.



potest. *Suar. lib. 4. de juram. cap. 27. num. 5. Sanch. cit. cap. 9. n. 38. & c. 12. n. 49.* deinde debet directè, ac principaliter tendere in præiudicium tertij, ut si fundus dotalis alienatus sit cum juramento, qui ex alterius dispositione debebat ad filios pervenire: secus, si tantùm indirectè, & secundariò juramentum cederet in præiudicium alterius; quia, si res non fuisset alienata, alter habere potuisset spem successionis: tunc enim nihilominus per juramentum firmaretur contractus; quia cessaret præiudicium tertij. *Sanch. cit. cap. 9. n. 39.*

Regula quarta est, si pactum, seu contractus turpitudinem contineat, ex parte creditoris, in cuius favorem iuratur, etsi iuramentum adiunctum obliget, non tamen confirmat contractum, quale est iuramentum solvendi usuras. *cap. Debitores; 6. h. t. vel promissio iurata metu, aut dolo extorta. cap. Cum contingat; 28. h. t. & cap. 2. Eod. in 6. & cap. Quamvis de pact. in 6.* quia in his casibus iuramentum tantùm obligat, ob reverentiam Divini Numinis adducti in testem, ad faciendum verum, quod iuratum est, nullùmque ius acquiritur, vel actio recipienti iuramentum; idque in odium ipsius, ne ex iniquitate commodum ferat. *Sanch. cit. cap. 12. num. 51. Laym. cit. c. 8. num. 2. & 3.*

CXLII. Assertio 2. Juramentum confirmatorium contractus iure invalidi plures habet peculiares effectus, quos non habet iuramentum, quod tantùm obligat, & non confirmat contractum, cui apponitur. Primus est, quòd ex eo oriatur duplex obligatio, una erga DEUM ex virtute religionis, sive ipsius iuramenti; altera erga hominem, cum quo pactum, vel contractum est, ex iustitia, vel fidelitate humana, ita, ut promissio, vel contractus iure positivo invalidus veniat reviviscat per accessionem iuramenti, & vim acquirat obligandi; cum iuramentum obligatorium quidem, sed non confirmatorium, si adiungatur contractui iure invalido, relinquat illum invalidum, sicut priùs erat; nec robur, vel ullam vim obligandi ei addat. *Suar. lib. 2. de juram. cap. 25. n. 2. Sanch. lib. 3. moral. cap. 12. n. 58.*

Secundus effectus est. Juramento confirmatorio contractus relaxato ab alio, quam à creditore, manet obligatio iustitiæ, vel fidelitatis orta ex contractu; quia confirmatur contractus invalidus, non vi iuramenti præcisè, sed legis ita disponentis: unde, quamvis postea iuramentum auferatur, & relaxetur, manet firmus contractus; quia, sicut iuramentum per se solum non firmavit contractum, ita nec relaxatio iuramenti irritat illum, neque contractus validitas pendet à iuramento in conservari, sicut pendebat ab illo in fieri; non tanquam à causa, sed velut à conditione necessaria, ad quam lex ita disponens respicit. *Suar. cit. c. 25. n. 4. & 5. Sanch. c. l. n. 59.* Operatur autem relaxatio iuramenti hoc, tum ut per illam auferatur obligatio propria iuramenti; quæ ad religionem pertinet, ita, ut, etiamsi contrahens non servet contractum, non sit periurus: tum etiam, ut si iusta causa subsit, possit in Iudicio petere rescissionem, seu dissolutionem contractus, quod ante non poterat sine periurio petere, obstante iuramento, eo autem relaxato, potest. Quòd si verò ipse creditor remittat iuramentum in sui favorem præstitum, tum etiam contractus dissolvitur, & cessat omnis obligatio; quia

non potest creditor per se, & immediatè relaxare iuramentum, sed solum mediatè, cedendo iuri suo, seu remittendo jus, & obligationem sibi acquisitam ex contractu; quo sublato, tanquam fundamento, etiam tollitur iuramentum, quod est accessorium contractus. *Suar. c. l. n. 6.*

Tertius effectus est. Juramentum confirmatorium pacti, vel contractus irriti irrevocabiliter servandum est, ita, ut non liceat repetere id, quod solutum est; quia inducit obligationem, non solum erga DEUM, sed etiam erga hominem, cui promissio facta, & jus acquisitum est; at verò, quando iuramentum non confirmat promissionem, vel contractum, ei satisficit momentaneâ solutione, ita, ut statim possit iurans repetere solutum; quia non est translatum dominium in accipientem, & solutione factâ, iurans liber est à iuramento: adeoque res soluta, sine iusto titulo manet penes recipientem, cui non est debita, nisi ob implendum iuramentum. *Suar. c. l. n. 10. Sanch. c. l. n. 61.*

Quartus effectus est, quando iuramentum confirmat promissionem, vel contractum iure aliàs invalidum, parit actionem in Iudicio; quia non solum inducit obligationem propriam religionis, sed etiam firmat obligationem naturalem, & civilem contractus, respectu ipsius hominis, cui jus acquiritur: ex qua obligatione nascitur actio in foro externo; non item quando iuramentum non confirmat contractum. *Suar. c. l. n. 7. & 8. Sanch. c. l. n. 66.*

Quintus effectus est, quando iuramentum confirmat contractum, nequit ordinariè relaxatio eius obtineri; quia ea cederet in præiudicium tertij, cui jus est acquisitum: ideòque iniuria ei fieret, si absolute à iuramento peteretur, vel concederetur: quamvis S. Pontifex de plenitudine potestatis etiam tale iuramentum relaxare possit, per quam in casu extraordinario potest, ob bonum commune, aliquem privato iure suo. Aliud est de iuramento non confirmatorio contractus, in quo potest peti, & concedi relaxatio, & postea sine peccato non servari iuramentum; quia per illud non acquiritur jus ei, in cuius gratiam iuratur: adeoque per relaxationem iuramenti nulla illi fit iniuria. *Suar. c. l. n. 12. Sanch. c. l. n. 63. & de iur. segg.*

Denique sextus effectus iuramenti confirmatorii contractus est, quòd eius obligatio transit ad heredes eius, cui præstitum est, propter vim pacti: Jur enim, & actiones defuncti transeunt ad successores: quamvis iuramentum non confirmatorium non transeat. *Suar. c. l. n. 9. Sanch. c. l. n. 67. de quo plura infra.*

§. III.

An iuramentum habeat vim confirmandi contractus initos contra prius iuramentum illos non celebrandi?

CXLIII. Assertio I. Actus gestus contra prius iuramentum abstinendi ab illo, si per se secluso

eluso juramento, & sine illo esset validus, erit etiam validus, etiamsi fiat contra juramentum prius editum de non faciendo illo, non obstante perjurio, adeoque juramentum nullam habet vim irritandi actum contra illud gestum, si is, quoad valorem suum, pendeat ex sola libera voluntate agentis; ut docet *Abb. in c. Intellecto*; 33. n. 8. h. t. *Covarr. in c. Quamvis*; de pact. in 6. p. 2. §. 2. n. 5. *Silvest. V. Juramentum*; 4. q. 12. *Azor. cit. lib. 11. c. 6. q. 3. Less. lib. 2. de iustit. c. 17. n. 57. Suar. lib. 2. de juram. c. 19. n. 6. Sanch. lib. 3. Mor. c. 12. n. 31.* & alii communiter. Ratio est; quia juramentum prius, contra quod agitur, solum facit, ut non possit jurans contravenire ei licite, & sine perjurio, non tamen reddit illum inhabilem, vel ei auferit potestatem, quod minus possit, non obstante illo juramento promissorio, valide adhuc facere, quod non facturum se promissit, ac juravit; cum actus contrarius per se sit validus, qui suum robur, ac firmitatem à juramento non debet accipere. Exemplum passim sunt obvia; nam matrimonium contractum de presente validum est; etsi prius cum alia sponsalia de futuro jurata sint inita. *c. Sicut*; 23. de sponsal. Secundò, venditio, vel donatio posterior facta, cum traditione rei, valet, non obstante priorre venditione, vel donatione jurata, alteri facta, sine traditione; ut colligitur ex *l. Traditionibus*; 20. *C. De pact. & l. Quoties*; 15. *C. De rei vindic. quia venditor, vel donator, non obstante priorre promissione jurata Titio v. g. facta, manet Dominus rei: adeoque adhuc jus habet transferendi dominium in alium. Tertiò, si quis juravit, se non revocaturum procuratorem, vel non mutaturum testamentum à se factum, & postea revocat, vel mutat, perjurus quidem est, sed revocatio, vel mutatio est valida. Quartò, si is, qui jus conferendi beneficium habet, juravit, se illud collaturum Titio, & postea conferat Caio, valida est collatio. Quintò, si Prelatus juravit, se bona Ecclesie non alienaturum, etiam ex causis jure concessis, & deinde alienet ex causa jure permitta, alienatio subsistit. Sextò, si Capitulum statutum facit de non augendo certo numero Canonicorum, idque juramento confirmavit, postea verò supra numerum illum, unum Canonicum admittat, valida est admissio, & institutio. Nec obstat primò *c. Cum dilecto*; 25. *de prebend. ubi dicitur, non posse Canonicos augere numerum Canonicorum, si statutum ediderunt juramento confirmatum, se nunquam illum numerum aucturos: nam ibi solum dicitur, eos non posse augere numerum, scilicet licite, & sine perjurio, cum id sit contra juramentum: non autem, actum esse invalidum, si faciant; ut notat *ibid. Abb. n. 17.* non enim per hoc juramentum se privant jure augendi numerum Canonicorum, *Less. c. l. n. 57. Azor. cit. lib. 11. c. 6. q. 3.***

Non obstat secundò, *c. Intellecto*; 33. h. t. ubi decernitur, irritas esse alienationes à Rege Ungarie factas contra juramentum à se præstitum in coronatione, se non alienaturum jura, & bona Regni sui; nam non fuerunt irritæ illæ alienationes; quia fuerunt contra juramentum factæ; sed quia factæ in detrimentum Regni, & noxiæ communi bono Reipubl. adeoque, etiamsi non jutâst, eæ revocari, ac rescindi debuissent, *Azor. c. l.*

CXLIV. Assertio secunda. Si actus, qui fit

contra prius juramentum, per se, absque juramento sit invalidus; tunc non potest confirmari per juramentum posterius editum contra prius juramentum abstinendi ab illo. Est communior sententia DD. quam tenet *Gl. fm. in c. Licet*; 2. h. t. in 6. *Azor. cit. c. 6. q. 3. in fine. Less. cit. c. 17. n. 58. Sanch. cit. c. 12. n. 58. Laym. cit. c. 8. in fine, contra. Suar. lib. 2. de juram. c. 30. n. 3. & seqq. & alios quosdam Recent. v. g. si mulier juravit, se non alienaturam bona dotalia, vel donata propter nuptias; vel minor 25. annis, se non contracturum, sine curatoris auctoritate; vel maritus, se non donaturum uxori inter vivos: & postea, non obstante illo juramento, alienet, vel contrahat, vel donet, idque etiam novo juramento confirmet, se non revocaturum alienationem, contractum, vel donationem; nihilominus invalida est alienatio, contractus, vel donatio. Ratio est; quia juramentum posterius, cum sit perversum, & confirmatorium criminis perjurii, non potest obligare contra juramentum prius; esset enim vinculum iniquitatis: neque etiam tale juramentum potest confirmare actum, vel contractum per se invalidum.*

Dices. Juramentum posterius de non revocanda alienatione, contractu, vel donatione, non videtur esse perjurium; quia ante non juravit, se non revocaturum alienationem, contractum, vel donationem, si fortè fieret; sed non alienaturum, non contracturum, non donaturum. Verum, quamvis id expressè non juraverit, censetur tamen id tacite jurasse: hoc ipso enim, quod juravit, se non alienaturum, non contracturum, non donaturum, tenetur, vi huius juramenti, revocare alienationem, contractum, vel donationem postea factam, si possit: unde, si juret postea, se non revocaturum talem actum, cum tamen possit, facit contra prius juramentum, & sic fit perjurus, non tantum alienando, contrahendo, vel donando contra prius juramentum, sed etiam jurando, se non revocaturum talem actum: nam juramentum non revocandi est juramentum habendi ratum talem actum; adeoque est perjurium contra prius juramentum, nec potest sine peccato servari, & per consequens non obligat: aliud est, si contractus contra prius juramentum initus sit per se validus, nec possit revocari; tunc enim, licet contrahendo committatur perjurium, non tamen potest jurando revocare contractum, vel actum, *Less. c. l. n. 59. Sanch. c. l. n. 38.*

Confirmatur; quia velle persistere in contractu est illicitum illi, qui prius juravit, se non contracturum: sed non nolle contravenire contractui, si velle nolle revocare illum, est formaliter velle persistere in contractu: ergo etiam nolle contravenire, si velle revocare, est illicitum; adeoque juramentum cadens supra illud non obligat. *Castr. Palao. cit. dif. 2. de juram. punct. 2. §. 7. n. 4.*

Ceterum si actus contrarii sint ejusdem rationis; tunc, si prior est validus, posterior ipsi contrarius est invalidus, etiamsi juramentum huic accedat. Ut si quis prius simpliciter promissit, vel vendidit Titio rem aliquam, sine traditione; postea verò alteri eandem rem juratus promittat, vel vendat, etiam sine traditione; prior promissio, vel venditio est valida, non item posterior, quamvis jurata; quia hæc non potest impleri, sine injuria eius, cui prius promissio, vel venditio facta est, & per illam jus quæsitum est; adeoque non confirmatur accedente juramento,

mento, cum hoc non possit servari sine peccato; ob quam causam etiam sponsalia posterius inita cum Anna, etiam jurata, non obligant, si praecesserint sponsalia, etsi simplicia tantum cum alia. *Less. c. l.*

S E C T I O V.

DE OBLIGATIONE, ET
relaxatione Juramenti.

S. I.

*An obligatio iuramenti sit personalis,
an verò realis, ita, ut ad here-
des transeat?*

CXLV. Afferio prima. Juramentum promissorium homini praestitum, secundum propriam obligationem ex virtute Religionis, semper personale est, ex parte jurantis; neque heredem illius, aut successorem obligare potest, v. g. filius, aut heres non obligatur juramento patris, vel testatoris, ex vi juramenti; ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 98. a. 2. ad 4. Abb. in 6. Veritatis; 14. n. 3. h. r. Covarr. in c. Quamvis; de pact. in 6. p. 1. §. 5. n. 4. Suar. lib. 2. de juram. c. 31. n. 12. Sanch. lib. 3. in Decal. c. 13. n. 1. & alii communiter. Ratio est; quia juramentum est vinculum personale, solumque jurantem afficit: sicut enim nemo jurat, nisi sua voluntate, ita neque obligatur juramento alterius, nisi in illud consentiat, & consentiendo suum faciat. Idque procedit, etiam si quis pro se, & successoribus suis juravit; non enim hi obligantur, ex vi juramenti; quia obligatio juramenti, quae oritur ex virtute Religionis, non nisi propria voluntate suscipi potest, cum sit actio personalis. *Abb. c. l. Sanch. c. l. num. 2.* Verumtamen, si quis juramento aliquid promissit, heres ipsius, non quidem ex vi juramenti, sed ex vi pacti, vel contractus ex iustitia obligari potest, ac solet, si circa rem non illicitam, sed capacem obligationis versetur; quia pactum, vel contractus transit ad heredes, vel successores paciscentis, vel contrahentis, etiam non facta mentione illorum. *l. Veteris; 13. C. De contrah. stipul. Abb. c. l. Suar. c. l. n. 13.**

CXLVI. Hinc inferitur primò. Si maior pars alicuius Communitatis, v. g. Capituli, vel Civitatis, juramento se obligavit ad aliquid praestandum, ita tamen, ut quidam de Collegio contradicant, vel non consentiant, hi non obligantur, ex vi juramenti, neque perjury sunt, etiam si juramentum non fervent: obligantur tamen interdum ex vi pacti, legis, vel consuetudinis, quae minor pars Universitatis, seu Collegii, aut civitatis tenetur se conformare majori parti, eiusque suffragia, vel conventionem sequi, ac proinde etiam ad jurandum cogi potest, *Suar. c. l. n. 9. & 11. Laym. lib. 4. tract. 3. c. 10. n. 3.*

Inferitur secundò. Si Rex, Episcopus, Canonicus &c. ad suum officium admittatur, sine ullo juramento praestito, non obligatur ad servanda juramenta ab Antecessoribus edita, ex virtute Religionis; licet interdum teneantur ad servanda ea, quae Antecessores jurarunt, ex vi pacti, statuti, vel consuetudinis, *Suar. c. l. n. 13. Sanch. c. l. n. 3. Laym. c. l.*

CXLVII. Inferitur tertio. Si Titius juravit, se non repetiturum certam rem à Cajo, potest heres Titii eam repetere; quia heres hoc non juravit, licet interdum ex vi contractus teneatur non repetere: imò ipse Titius poterit rem repetere ab herede Cajo, quia huic Titius juramentum non praestitit. *Aror. p. 1. Instit. lib. 11. c. 8. q. 5. Sanch. cit. c. 13. n. 4.* Quare si juramentum per injuriam extortum sit ab aliquo; ut, si quis juravit, se usuras solviturum creditorem, vel pecunias daturum latroni, vel datas non repetiturum, heres non tenetur implere juramentum defuncti, etiam si hic in vita id non impleverit; quia defunctus non tenebatur ad solvendum, ex vi pacti, vel contractus, cui etiam ex illo nullum jus est acquisitum; quippe qui turpitudinem, & injustitiam ex parte accipientis continebat, sed ex sola Religione jurisjurandi tenebatur solvere, quod non transit ad heredes jurantis. *Sanch. c. l. n. 5. Laym. c. l. n. 4.*

Sed hic obijci potest, juramentum de dando elemosyna alicui pauperi, in honorem DEI, adeoque soli DEO praestitum transit ad heredes jurantis, & ab iis impleri debet, quamvis nulli pauperi, sed soli DEO jus ex eo sit acquisitum: ergo etiam, quamvis usurario, vel latroni nullum jus sit acquisitum ex juramento solvendi usuras, vel pecuniam, sed soli DEO, heredes tenebuntur illud implere, tamen defunctus non impleverit. Omisâ responsione allatâ à Sanch. c. l. n. 5. nam, si DEUS acceptet juramentum in utilitatem eius, cui juratum est, siue non; in utroque casu jurans solum obligatur ad solvendum, ex virtute Religionis ratione juramenti: ergo in utroque casu vel in neutro obligantur heredes ad solvendum. Quare dicendum est cum Castro Palao *cit. dist. 2. par. 11. n. 2.* quòd heredes illius, qui juravit, se daturum elemosynam pauperi, in honorem DEI, obligati sunt, non ex vi juramenti, sed ex obligatione iustitiae: nam hoc ipso, quòd heres adit hereditatem defuncti, ex utriusque Juris dispositione, obligatur ad implenda, & exequenda vota, & juramenta defuncti. *Aror. c. Licet; 6. de voto; & c. Si heredes; 6. de testam. & c. Ex parte; 13. de censib. & clarus ex l. 2. ff. De pollucio ubi in fine dicitur, voti obligationem ad heredem transire constar: ibique sermo est de voto reali, quòd in dando, non in faciendo consistit. *Gl. fin. ibid. jussu. Gl. Marg. at verò nullus in utroque jure reperitur textus, quo statuatur, obligationem juramenti per injuriam extorti transire ad heredem jurantis, ita, ut non, nisi sub hac conditione hereditas ei deferatur: ergo id non est asserendum; quia obligatio juramenti strictè est interpretanda.**

CXLVIII. Inferitur quartò. Heres vassalli succedens in feudo debet, cum investitur, novum fidelitatis juramentum praestare Domino feudi; quia ex homagio praestito ab Antecessoribus non obligatur. *Suar. c. l. n. 13. Laym. c. l. n. 3.*

Inferitur quintò. Quamvis laicus, ratione juramenti, conveniri possit apud Judicem Ecclesiasticum. *c. ult. de foro compet. in 6.* non tamen heres illius, quia jurans solum religione juramenti obstringitur. *Covarr. c. l. n. 6. Aror. cit. c. 8. q. 5. Sanch. c. l. n. 11.* potest tamen heres jurantis conveniri coram Judice Ecclesiastico, si conveniatur, non ex contractu celebrato cum defuncto, cui successit, sed si implerent officium Judicis, ut compellat heredem satisfacere ad

exonerandam conscientiam defuncti. *c. à nobis*; 28. in fine de sent. excomm. *Sanct. c. l. n. 12.* ubi addit, idem esse, licet contractus non sit juratus; quia tunc heres non convenitur coram Iudice Ecclesiastico, ratione juramenti.

CXLIX. Assertio secunda. Juramentum promissorium non est personale, ex parte eius, cui præstatur, sed reale; adeoque transit ad heredes, seu Successores illius, v. g. jurans, centum ducatos se daturum Petro, hoc defuncto, ante solutionem, obligatur eam pecuniam solvere heredibus Petri, ex vi juramenti ipsi præstiti. *Covarr. cit. §. 5. n. 4. Suar. lib. 2. de juram. c. 31. n. 14. Sanct. cit. c. 13. n. 6. Laym. cit. c. 10. n. 5.* & alii communiter: idque probatur primò ex *l. Si pactum*; 9. ff. *De probation. ubi habetur*, quòd pactum cum aliquo factum, intelligatur etiam factum pro herede illius, licet expressa mentio heredis non fiat; quia plerumque, tam heredibus nostris, quam nobismetipsis cavemus, nisi aliunde constet, aliam fuisse intentionem contrahentium: juramentum autem suscipit naturam, & conditiones promissionis, seu contractus, cui adjicitur: ergo sicut contractus transit ad heredes eius, cum quo contrahitur, ita & juramentum ei oppositum.

CL. Probatur secundo ex *c. Veritatis*; 34. h. t. Nam, cum dubitatum fuisset, ut refert *Gl. in casu*, utrum Regis Siciliæ heredes, qui Romanæ Sedis vasallus, seu feudatarius erat, postquam uni Pontifici homagium, seu juramentum fidelitatis semel præstiterunt, Successoribus eorum iterum jurare debeant; respondit Papa Clemens III. si heredes Regis uni Pontifici Antecessorum suorum semel fidelitatem jurarunt, non sunt compellendi, ut alii Successoribus suis denuo jurent, dummodo fidelitatem Successoribus Pontificibus constanter observent, perinde, ac si etiam ipsi jurassent.

CLI. Notandum primò. Qui juravit alicui in dignitate, vel officio constituto, fidelitatem, vel obedientiam, expresso eius dignitatis, aut officii nomine, obligatur, vi illius juramenti, ad fidelitatem, aut obedientiam exhibendam omnibus Successoribus in eadem dignitate, vel officio, etiamsi in formula juramenti illi non fuerint expressi, v. g. promitto, ac juro obedientiam, & fidelitatem tibi Pontifici Romano, Episcopo Augustano, &c. *Abb. hic n. 2. Covarr. inc. Quamvis*; p. 1. §. 5. n. 5. *Suar. cit. c. 31. n. 15. Sanct. c. l. n. 6.* Ratio est; tum quia juramenti obligatio etiam ad successores eius, cui juratum est, transit, quamvis eorum expressa mentio facta non sit; ac proinde non debet juramentum ipsis denuo præstari, vel repeti, sed juramentum tale censetur esse reale, sive transitorium cum re, videlicet dignitate, vel officio, respectu cuius editum est, ad Successores: tum quia dignitas, & officium cum personâ non extinguitur, sed ad Successores transit; dignitas enim non variatur ex præfidentium diversitate. *c. Si gratiosè*; §. *de rescript. in 6.* ergo etiam juramentum præstitum intuitu dignitatis, vel officii, cum eodem transit ad successores. Quare si is, cui ratione dignitatis, vel officii sui præstitum est juramentum, resignet, vel ab eo removeatur, jurans non obligatur amplius ad præstandam ipsi obedientiam, vel fidelitatem, sed obligatione respectu illius liberatur, eaque ad Successorem transit. *Arg. c. Venerabilem*; 34. in fine, de elect.

ubi dicitur, quòd juramentum Philippo, ut Imperatori electo, præstitum observandum non sit, postquam eius electio reprobata fuit; quia juramentum illud est ipsi dignitati, vel officio annexum, ratione cuius est editum. *Abb. hic n. 3. Silvest. V. juramentum*; 4. q. 2. dicto 1. & q. 3. *Sanct. cit. c. 13. n. 9. & 10.*

Notandum secundo. utrum juramentum præstitum sit alicui, ratione dignitatis, vel officii, an verò ratione personæ proprio nomine expressæ; adeoque ad eius successores non transeat, id non tam ex verbis, quibus persona ipsa, vel dignitas, seu officium illius est nominatum, sed ex conjecturis, potissimum verò ex subiecta materia, cognosci debet, an nimirum juramentum præstitum sit circa rem ad dignitatem, vel officium pertinentem, an verò ad privatam eius personam. *Covarr. c. l. n. 7. & 8. Laym. c. l.* Interdum tamen, etsi juramentum alicui præstitum ratione dignitatis, eo mortuo, vel deposito, ad eiusdem successores extendi possit: præcipitur nihilominus renovatio juramenti, & ut nova recognitio fidelitatis, & obedientiæ successoribus fiat; non quòd ea sit necessaria, sed ob majorem solemnitatem, & securitatem: idque obtinet in casibus jure expressis; ut in *c. Longinquitate*; 64. *caus. 12. q. 2.* ubi statuitur, quòd liberti Ecclesiæ tenentur professionem status sui renovare, & facere Episcopo successoribus, etiam si prædecessori jam antea fecerint, ne longinquitate temporis pereat memoria originis. *Covarr. c. l. Suar. c. l. n. ult. Sanct. c. l. n. 8. Laym. c. l. n. 5.*

CLII. Ceterum, cur aliquis possit se juramento obligare alicui, & successoribus eius, sub pena perjurii, non autem obligare se, & successores suos, ratio est; quia in primo casu plures illæ personæ sunt obiectum juramenti, & potest iurans intendere totum illud obiectum, sive pluribus personis se velle obligare sub juramento: agitur enim solum de obligatione propria jurantis, quam quis facere potest, prout voluerit, & sic bene potest quis, vi juramenti, obligare se alteri, & successoribus eius. In secundo verò casu, non potest jurans, vi juramenti sui, obligare successores suos; quia sunt distinctæ personæ; juramentum autem, naturâ suâ, cum sit vinculum personale, non potest obligare, nisi personam jurantis, & ita, cum agatur de obligatione aliena, quam quis non potest facere, sine consensu alterius, *c. Arg. l. 11. id.* quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. ff. *De R. I.* ideo juramentum alias personas obligare non potest. *Abb. in cit. c. Veritatis n. 3. h. t. Suar. c. l. n. 16. Sayr. in Thesaur. Cas. lib. 5. c. 6. n. 20.*

CLIII. Assertio tertia. Quamvis juramentum personale sit, ex parte jurantis, potest tamen præstari, per procuratorem; ut constat ex *c. ult. de juram. calum. in 6. & c. unic. §. Verum de statu; regul. in 6.* quia quod quis facere potest per se ipsum, etiam potest per alium. *Reg. jur. 68. in 6.* modò procurator speciale mandatum habeat jurandi, nomine alterius, in causa speciali, sicut etiam matrimonium est actio personalis, & tamen contrahi potest per procuratorem. *c. fin. de procurat. in 6.* & sicut obligat juramentum per scripturam à jurante subscriptam. *c. Opratum*; 4. *discretio. vel per nuncium. c. Mutuantes*; 32. *caus. 17. q. 4.* Et, licet procurator loquatur in prima persona, dicendo: Ego juro, id tamen dicit, quatenus representat

ferat personam alterius, quæ principaliter censetur jurare. *Azor cit. lib. 11. c. 7. q. ult. Suar. cit. c. 31. n. 3. & 4. Sanch. cit. c. 13. n. 17. & 18.* & hinc, si procurator falsum juret, ipse principalis, cuius mandato, & in cuius animam alter jurat, perjurus erit: quamvis & procurator, si scienter falsum juret, nomine alieno, perjurium committit, & puniri debet tanquam cooperator perjurii; quia consentit in illud. *Silvest. V. Perjurium; q. 3. Sanch. cit. c. 13. n. 26. Laym. cit. c. 10. n. 1.* Porro quod dictum est, iuramentum præstari per alium posse, id intelligendum est, dummodo actus, cui iuramentum apponitur, talis sit, ut per alium geri possit; cuiusmodi sunt pacta, & contractus: tunc enim, etsi lex proprium alicuius iuramentum promissorium exigit, v. g. iuramentum fidelitatis à vasallo, per alium præstari poterit, cum speciali ad id mandato, modo Dominus consentiat, vel vasallus justè impeditus sit; ut colligitur ex *cit. c. unic. §. Verum.* Secus, si per alium actus geri non possit; ut est iuramentum à testibus præstandum in iudicio, sicut colligitur ex *c. 2. de testib. vel si lex exigit iuramentum præstari, propriâ manu, nisi in iis, quæ nullius, vel levis sunt præiudicii. Covarr. cit. §. 7. n. 8. Suar. c. l. n. 7. Sanch. c. l. n. 21. & duobus seqq.*

§. II.

A quo, & quomodo possit relaxari iuramentum promissum homini præstitum?

CLIV. Queritur primò. Qualiter Prælatas Ecclesiasticus relaxare possit iuramenta homini præstita? Resp. primò. Si ex parte recipientis iuramentum promissorium non sit turpitudine, vel damnum enorme, aut vis injustè illata, ideòque is non teneatur rem sibi iuramento promissam restituere; tunc nemo potest illud relaxare, invito eo, cui iuramentum præstitum est, præter S. Pontificem, idque non nisi ex causa gravissima, & ob bonum commune; quia, cum per tale iuramentum sit jus alteri acquisitum, non potest illud ei auferri, nisi per supremum Principem summâ in spiritualibus potestate præditum; cum iuramentum sit vinculum spirituale. *Suar. lib. 2. de juram. c. 41. n. 2. Sanch. lib. 3. in Decal. c. 21. n. 2.* potest tamen etiam Episcopus interdum relaxare iuramentum alteri præstitum, v. g. non accusandi, non denunciandi, si bonum commune Diocesis id postulat. *Silvest. V. iuramentum; §. q. 3. Suar. lib. 2. de juram. c. 41. n. 5. Laym. lib. 4. tract. 3. c. 11. n. 5. & indicat S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 3. ubi dicit, quod id maximè pertinere videtur ad potestatem Papæ: ergo aliquando etiam ab Episcopo id fieri potest, juxta rei, & personarum qualitatem.*

CLV. Respond. secundò. Si constet, turpitudinem versari ex parte recipientis iuramentum, eò quòd per dolum, vim, vel metum injustè incussum, vel læsionem valde enormem promissio, vel contractus iuramento confirmatus sit extortus, aut impetratus, ad eò, ut, quod ita promissum est, justè recipere non possit, & datum restituere teneatur: tunc tale iuramentum ab Episcopo, vel alio Prælato quasi Epi-

scopalem jurisdictionem habente relaxari potest. *Sanch. c. l. n. 26. Suar. cit. c. 41. n. 6. Laym. c. l. & citi communitè: & sumitur ex c. 2. de pact. ubi dicitur, tale iuramentum non esse omnino, seu inviolabiliter servandum; quia nimirum ordinariâ potestate Prælati relaxari debet. Ratio est; quia per tale iuramentum nullum jus acquiritur ei, cui præstatur, sed solum servandum est, ob reverentiam Divini Nominis: ideòque potest Prælatas DEI vices gerens eius nomine id relaxare. Porro, si non constet de turpitudine, vel iniustitiâ ex parte recipientis, præsumendum est pro iuramento, & pro iure eius, cui iuramentum est, donec probetur dolus, vel iniustitia ab eo commissa. Si verò sit probabile dubium, an Episcopus absolvere possit, vel an iuramentum obliget, ad eòque absolutione indigeat, necne, tum Episcopus id declarare potest; ut docet *Felin. in c. 1. n. 12. h. r.**

CLVI. Queritur secundò. Quinam Episcopus debeat relaxare iuramentum, num ipsius iurantis, an verò eius, cui iuratum est? pro solutione notandum ex *Abbate in c. 1. num. 6. h. r.* quòd ei, à quo iuramentum iniustè extortum est, duo remedia, inter alia, competant: unum est, ut petat eum, cui iuratum est, compelli ad remittendam obligationem, & relaxandum iuramentum, iuxta *cit. c. 1.* alterum, ut petat absolutionem, seu relaxationem iuramenti ab Episcopo suo. Et cum hæc duo remedia separatim, & æquè principaliter, seu independentè ab invicem, concessa sint, in optione iurantis est, utro eorum velit. *Arg. l. Quoties; 41. ff. De oblig. & act. Abb. c. l. n. 7.*

Jam ergo Respond. primò. Si relaxatio iuramenti petatur tantum, & fiat in foro conscientie, seu extra iudicium, tum Episcopus iurantis id relaxare debet; ut, si quis petat relaxari sibi iuramentum præstitum de solvendi usuris, vel pecuniâ latroni: quia is solus in eo foro habet iurisdictionem in alium. Idemque est, si petatur in foro externo relaxatio iuramenti, in ordine ad effectum agendi dumtaxat, seu petendi in iudicio, ut contractus, vel promissio per dolum, vel metum iniustè extorta rescindatur; tunc enim adhuc relaxatio iuramenti ad Episcopum iurantis spectat; quia agitur de vinculo conscientie, ratione cujus impeditur iurans ab agendo, quod dissolvere ex iusta causa, pertinet ad Prælatum proprium, & ordinarium: neque hoc casu requiritur citatio partis, cui iuratum est; quia non agitur de magno eius præiudicio, cum non obstante relaxatione iuramenti, adhuc ius suum in iudicio petere possit. *Felin. in c. 1. n. 24. & 31. h. r. Sanch. lib. 3. mor. c. 21. n. 23. & 36.*

CLVII. Resp. secundò. Si relaxatio iuramenti petatur, & fiat, in ordine ad tollendam omnino obligationem dandi, vel solvendi, quod promissum est, vel ad effectum rescindendi omnino contractum per dolum, vel metum iniustum; tum ea ordinariè fieri debet ab Episcopo eius, cui iuratum est. *Felin. c. l. n. 31. Sanch. c. l. num. 36.* Ratio est, quia Actor forum Rei sequi debet, plerumque autem is, cui iuratum est, partes Rei agit in iudicio, si nimirum à iudice petatur, ut promissio, vel contractus, promissâ iuramenti relaxatione, rescindatur: quare cum tunc is, cui iuratum est, citari debeat; quia agitur de illius præiudicio, is Judex Ecclesiasticus iuramentum relaxare

relaxare potest, qui potest Reum citare, & de illo contractu cognoscere, nimirum Judex Ordinarius illius.

CLVIII. Excipitur 1. Si contractus juramento iniuste extorto confirmatus, alibi extra locum domicilij, sive in aliena Diocesi sit initus: tamen in Judex, sive Episcopus loci, qui de contractu ibi celebrato cognoscere potest, cum contrahentes sortiantur forum in loco contractus, juxta *cap. fin. de foro compet.* potest etiam cognoscere de dissolvendo contractu; & consequenter etiam relaxare juramentum ei appositum; ut docet *Felin. in cit. cap. fin. circa finem. Sanch. cit. lib. 3. cap. 21. n. 31.* nam, cui conceditur finis, etiam ea conceduntur, quæ sunt necessaria, & ordinata ad finem. *cap. Præerea; §. de Offic. judic. deleg.* addit tamen *Sanch. c. l. Judicem contractus non potest hoc casu relaxare juramentum, si relaxatio petatur pro solo foro conscientia; cum in hoc foro Judex competens sit solum Judex, sive Episcopus domicilij.*

Excipitur secundò. Nisi is, cui juratum est, sponte se subiciat Episcopo iurantis; quia nimirum ipsemet agit ad implendam promissionem, seu contractum iuratum coram Episcopo iurantis, qui proinde, præmissa cognitione causæ, an per dolum, vel metum iniustum juramentum extortum sit, poterit ab eo absolvere subditum suum; cum tali casu citatio partis adversæ non requiratur; adeoque Episcopus iurantis eius juramentum relaxare possit, juxta doctrinam supra traditam à Felino, & Sanch.

Ceterum illud hic addendum, quodcumque juramentum est obligatorium, ex parte iurantis, & aliquam utilitatem adfert recipienti; tunc relaxari non potest, nisi causâ cognitâ, & parte absente citatâ, cui aliàs per absolutionem præiudicium fieri posset; nisi tamen notoriè constaret, juramentum esse per dolum, vel vim iniustam extortum; tunc enim posset fieri absolutio ab illo, etiam parte non citatâ. *Alexand. de Nevo in cap. Debitores; 6. num. 45. & 46. hoc tit.*

CLIX. Queritur tertio. An non tantum Præla-

rus Ecclesiasticus, sed etiam Judex, seu Magistratus secularis possit relaxare juramentum homini præstitum? Resp. Non potest quidem potestas secularis immediatè, ac directè relaxare juramentum, sive ab illo absolvere, cum sit vinculum Spirituale; adeoque ad solam Spiritualem potestatem pertineat, illud dissolvere; potest tamen relaxare indirectè inter laicos sibi subditos, si res juramento promissâ pertineat ad forum seculare; & bonum publicum, ac civile id exigat, suppleto factum, seu consensum partis; quia, si ipsa pars, cui iuratum est, juramentum per metum, vel iniuriam extortum remittere debeat, & non remittat, tunc Judex, seu Magistratus secularis, loco, & nomine illius, quamvis renitentis, illud remittere potest; quia, quando subditus tenetur præstare consensum ad aliquem actum, & rennit, potest Judex, seu Magistratus supplere eius consensum, & eo invito id præstare; ut patet, si opus sit vendere domum, vel aliam rem alicuius ad solvendum creditoribus; ut docet *Molina tr. 2. de justit. dif. 149. n. 12. Sanch. lib. 3. cap. 22. n. 15.* Et hæc potestas relaxandi juramentum, per metum, vel iniuriam extortum, competit etiam inferiori Judici Ordinario seculari. *Sanch. c. l. n. 18.*

Quin imò probabiliter potest Princeps secularis supremus etiam impedire, ne ex tali juramento obligatio oriatur, antequam illud præstetur, si id finis politicus, & bonum Reipublicæ exigat, irritando pactum, vel contractum, cui est adiectum juramentum, quo irritato, irritum redditur etiam juramentum in eo fundatum, sicut fit ab Ecclesia in matrimoniis clandestinis. *Molin. cit. dif. num. 13. Sanch. cit. loc. num. 10.*

Ex dictis deducitur, & confirmatur, quod supra dictum est, nempe hanc remissionem juramenti non posse facere Judicem ipsius iurantis, sed necessariò fieri debere à Judice, seu Superiore illius, cui juratum est; quia ad remissionem juramenti, loco eius, cui juratum est, requiritur necessariò iurisdictio in illum, cui juramentum præstatur; adeoque ut sit subditus illius. *Sanch. cit. loc. num. 17.*

TITULVS XXV.

DE EXCEPTIONIBUS.

Postquam actum est de probationibus in genere, & in specie, quæ sunt veluti arma Actoris, quibus is munitus Reum aggreditur, & intentionem suam probat, sequitur, ut de Exceptionibus quoque agatur, quibus Reus vicissim se adversus Actorem defendit, eiusque probationes eludit. Extat hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

